

Phil. D
78

Philos. J. 26
Lfg. 119

D. GOTTLOB CHRISTIANI STORR

ANNOTATIONES QUÆDAM THEOLOGICÆ

AD

PHILOSOPHICAM KANTII DE RELIGIONE

DOCTRINAM

TUBINGÆ
APUD BORN IUM
MDCCXCIII.


IN GOTTES GÜTE UND GNADE

AM 17. JUNI 1771

AD

PHILOSOPHICAL KANTEN

DOCTRINA



Disputationis publicæ materia commodum quærenda erat, cum ad nos allatum est philosophi acutissimi scriptum ¹⁾, quod & diligentia theologorum univèrse dignum est, & candidatis, biblica theologia imbutis, jamque discessum ex academia parantibus, nominatim ab ipso Auctore ²⁾ commendatur. Jam facile quidem vidi, præcepta illustris *Kantii* philosophica de religione eorumque cum biblica theologia justam & accuratam comparisonem desiderare acriorem curam & scribendi tempus maturius. Neque tamen dubitavi, mox inter legendum natas cogitationes, quoad patientur fines, academico ejusmodi libello præstituti, per hanc occasionem explicare, cum publica earum disceptatio nostratibus Candidatis, ex Academia propediem discessuris, ansam dare saltem possit multiplicem ad expendendam coronidis loco philosophicam religionis doctrinam, quam reliqui temporis angustia ne siveisset quidem ex Auctoris celeberrimi sententia lectionibus academicis tractari.

§. I.

1) Die Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft, vorgestellt von Immanuel Kant, Königsberg 1793.

2) Præf. p. XIX.

§. I.

Primum igitur audimus & ³⁾ facile consentimus, de rebus, quæ sub sensum vel externum vel internum certe non cadunt, in utramque partem per nos ipsos nihil constituere nos posse, nec rationi per se soli fas esse, in illo rerum genere vel confirmare vel negare fidenter, rem (objective, ut ajunt,) se ita habere, non aliter, sed modeste ab his rebus assensionem pariter ac dissensionem cohibendam esse ⁴⁾, nisi forte integrum non sit *επεχειν*, sed practico consilio ultra *θεωριαν* progrediendum ⁵⁾ atque vel *υποθεσις* ⁶⁾ sumenda & asserenda ⁷⁾ sit, qua demum posita, cavere possimus, ne legem moralem, qua nos teneri nobis conscii sumus, pro vana habere cogamur ⁸⁾, vel quæstionis (*προβληματος*), ad res, sensibus non subjectas, pertinentis, negatio propterea fiat necessaria, quod affirmatio

3) cf. Præf. loco laudato.

4) v. præter librum inscriptum: *Critik der reinen Vernunft*, enim, quem supra laudavimus, p. 86. 276. f. & *Crit. der pract. Vernunft* p. 73. 77.

5) l. l. p. 216 - 220.

6) l. c. p. 227. 238. f. *Rel. innerhalb der Grenzen der bloßen Vern.* p. 216.

7) l. l. p. 216. *Crit. der pract. Vern.* p. 226. f. 241. fs.

8) l. c. p. 205. *Crit. der Urtheilskraft* p. 456. cf. infra §. X.

tio aut dubitatio contra, quam ratio patitur, de lege morali derogatura esset⁹⁾.

§. II.

Ex quo conficitur, ut, si qui theoreticis argumentis suis confisi, quæ in rebus, sub sensum non subjectis, mera opinionum commenta sunt, literarum sacrarum præcepta de ejusmodi rebus præfracte *negant*, ii hoc saltem nomine philosophi non sint putandi, contraque ab sapientiæ (philosophiæ¹⁰⁾ laude multo propius absint, qui rationis theoreticæ, limitum suorum immemoris, & de impossibilitate rerum, in quibus nihil videt, contendentis atque asseverantis, vanam arrogantiam & fanaticam¹¹⁾ audaciam confutent¹²⁾. Cum enim longe aliud sit universe, rei *impossibilitatem* intelligere, aliud *possibilitatem* rei *non* intelligere; tum maxime in iis, quæ tam vehementer ignoramus, sicut ea, quæ sensui exposita non sunt, haud profecto impossibilia sunt continuo, quorum possibilitas, modus ac facultas a nobis non perspicitur¹³⁾. Ergo, ut his utamur, philosophum non decet, universe negare divinam in condito mundo efficientiam, seu pro certo dicere, Deum ipsum (immediate) nihil quicquam conferre vel ad rerum naturalium


9) Rel. innerhalb der Grenzen der bloßen Vern, p. 154. 276. 142.

10) Crit. der pr. Vern. p. 194. fs.

11) I. I. p. 153.

12) Grundlegung zur Metaphys. der Sitten p. 121.

13) I. I. p. 120. f. Crit. der pract. Vern. p. 168, 241, Rel. innerhalb der Grenzen der bloßen Vern, p. 246. f.



lium consecutionem, veluti conservationem partis cujusque & speciei, quam genus animalium aut plantarum amplectitur ¹⁴⁾, vel ad morales mutationes, ut humani animi emendationem ¹⁵⁾, aut fieri omnino non posse, ut revelatio ¹⁶⁾ aliave eventa extraordinaria ¹⁷⁾ divinitus effecta fuerint. In eodem numero haberi convenit resurrectionis ¹⁸⁾ aut trinitatis negationem. Quum enim ex conjunctione cum corpore permagna in animum ipsum beneficia redundent ¹⁹⁾, nec necesse habeamus, incommoda difficultatesque, quibus hæc corporis nostri præfens conditio nos afficit, a *mutati corporis nova* indole similiter

14) l. l. p. 115. f.

15) l. c. p. 245. 278. f. 251. 58. 45. f.

16) l. c. p. 218. 142. 188. f.

17) Exemplum modestiæ, talia eventa non simpliciter negantis, reperitur p. 73. De reliquo monendum est, etiamsi Jesus præter naturam procreatus fuerit, tamen haud illico sequi, ut exemplum (cf. p. 74. f.) nobis esse nequeat pietatis erga legem divinam, præscripta legis sponte sua præferentis, & concupita, e sensibus pendencia (cf. p. 73), nec sane vitiosa per se (cf. p. 63. 27), tum, cum divina lex obstat (Luc. XII. 50. Jo. XIV. 31), posthabentis (Matth. XXVI. 39. 42). Neque enim, quod Adami exemplo (cf. Doctr. christ. partem theor. e sacris literis repetitam §. 76. d) patet (l. c. §. 53. f). cf. ill. *Kantium* l. l. p. 40 - 42), homini, qui non ab alio homine ortus, sed divina omnipotentia procreatus est, continuo per ipsam naturam *neceffe* (cf. l. c. p. 74) est, concupitis legem præponere, tametsi difficultatem anteponendi *vitiosam per natales* afferre (cf. infra §. III) nequibat ejusmodi homo. cf. *Ven. Tieftrunk* Dilucidat. ad theor. rel. christ. partem Vol. I. p. 217. f.

18) Hæc quidem doctrina ab ipso celeberr. *Kantio* impugnatur, sed, quod fatetur (cf. p. 183. verbum: *vermæthlich*), meris suspicionibus atque conjecturis,

19) l. l. p. 289. *Crit. der pract. Vern.* p. 288. fs. cf. *Crit. der Urtheils-Kraft* p. 450.

ter expectare; nulla profecto caussa est, quamobrem absolute fastidiamus novam conjunctionem cum corpore. Neque etiam firme licet asseverare, calcariam terram vel ab incognita nobis futuræ nostræ sedis ²⁰ natura utique abhorrere, vel præsentis corporis nostri interiores quoque & reconditas partes, quorsum nec anatomicæ nec chemiæ datum est penetrare, ipsa igitur futuri corporis nostri principia ²¹ continere. Quod autem non perspiciamus, quidnam sit illud, quo Pater, Filius & Spiritus Sanctus inter se differant, nulla certe ipsius, de qua sacræ literæ ²² confirmant, differentiæ negandæ justa nobis caussa esse potest ²³, cum sola etiam ratio deducat ²⁴ nos ad ejusmodi res, quas esse quidem ²⁵ intelligimus, quarum vero ipsarum cognitio capi a nobis non potest, nisi hætenus, ut falsas quasdam opiniones remove, quidque res *non sit*, indicare queamus, licet, *quid* igitur tandem *sit*, vehementer ignorare pergamus.

§. III.

Sed & ii, qui in oppugnanda biblica theologia *moralibus* utuntur rationibus, quas, si recte utaris, magnam in disputan-

20) cf. Doctr. christ. partem theor. p. 191. 193.

21) l. c. §. 61. a).

22) Celeb. Kantius (Rel. innerh. der Grenzen der bloßen Vern. p. 199–208) ad Sabellianam rationem proxime accedit.

23) v. über den Zweck der ev. Gesch. u. der Briefe Joh. §. 97.

24) v. ill. Kantii Grundlegung zur Metaph. der Sitten p. 125. f. Crit. der pract. Vern. p. 243–249.

25) cf. Rel. innerh. der Grenzen der Vern. pag. 198. extr.



tando vim afferre concessimus (§. I), diligenter cavere debent, ne vel præcepta theologiæ biblicæ *infirmis* ad probandum argumentis, h. e. enunciationibus, quæ aut incertæ ipsæ, aut per se quidem certæ, sed ab ea, de qua disceptatur, caussa alienæ sint, refutare aggrediantur, vel præcepta, quæ everuntur, *theologiæ biblicæ* præcepta non sint. Veluti doctrina de malis angelis humanorum aliquando scelerum adjutoribus non potest convelli argumentis, ductis ex spe impunitatis, quam peccanti homini faciat, aut ex sanctitate divina, qua indignum sit, talem peccandi illecebram permittere. Neque enim peccandi impunitatem, quam fatemur dandam non esse, eam ob causam aliquis habet, quod alicunde, nominatim ²⁶⁾ a malis angelis, sollicitatur ad peccandum, sed propriæ hominis voluntati vitio dandum est, quod cum concupitis, quæ, undecunque tandem orta vel adjuta fuerint, intelligi certe poterant legi adversaria esse, tamen consenserit, eorumque invitamenta legis auctoritati anteposuerit. Omnem vero peccandi illecebram, quamvis possit vinci, divina virtute ab hominibus prohibendam atque arcendam esse, nec ratio ulla persuadet ²⁷⁾ & multiplice experientia refellitur ²⁸⁾. Neque etiam tam absurda res esse videtur, quam ipse *Kantius* arbitratur ²⁹⁾, vitiosam indolem inde ab humani generis parente per procreationis successionem ad posteros propagari. Ut enim


con-

26) l. l. p. 66.

27) l. c. p. 100.

28) Doctr. christ. part. theor. §. 52. d). cf. *Celeb. Kantium* l. l. p. 169.

29) l. c. p. 37.



concedamus, voluntatem humanam, aut ipsam per se aut di-
vinitus certe adjutam ³⁰⁾, nullo temporis puncto, qualescun-
que demum & quantæ quantæ sint peccandi illecebræ, quod
rectum est, præferre non posse ³¹⁾; hoc tamen intelligitur,
humanæ, quam sensus afficiunt saltem ³²⁾, voluntati, quoties
id agitur, ut rationi audientiam faciat, & contra sensuum
postulata pro ea, quam ratio, ab sensuum, secundum se ju-
dicari volentium, insinuatione ³³⁾ liberata, dixerit, sententia
decernat, eo majorem difficultatem afferri & impedimenta ³⁴⁾
hoc graviora superanda esse, quo vehementior sensuum, legi
adversorum, impetus fuerit. Jam, sicut fieri potest, ut per
ea, quæ *cum natalibus attulerunt*, alii *difficultate* sequendi le-
gem majore affecti sint ³⁵⁾ quam alii, ita nec præfracte licet
negare, *vehementiam* cupiditatis pendentis e sensibus, quæ
potuit certe obsequio Adami, postulata sensuum legi sua cul-
pa antepontis, ingravescere & appetentiam posthac fero-
ciorum ac effrenatorem reddere, *a communi* hominum *paren-
te ad posteros transferri* ex eaque voluntati, quamvis non im-
possibilitatem absolutam, at ³⁶⁾ *difficultatem* permagnam com-
pri-

30) l. c. p. 45. f. cf. supra not. 15.

31) v. *Kantium* l. c. p. 38. fs. Crit. der pract. Vern. p. 171-179.

32) l. l. p. 36. Grundleg. zur Metaph. der Sitten pag. 110. III.

33) Relig. innerhalb der Gr. der bl. Vern. p. 41.

34) l. c. p. 45.

35) l. c. p. 169. Crit. der reinen Vernunft, ed. 2. p. 579.

36) cf. S. R. *Seileri* gemeinnützige Betr. A, 1793. p. 327-333.



primendæ sensuum ferociæ & præferendæ legis existere potuisse. Hæc vero difficultas, etsi nullo posteriorum Adami vitio, sed cum natalibus allata est, recte tamen *vitiosa* habetur, quia non ab auctore humanæ naturæ profecta ³⁷⁾, sed primi hominis, qui, dum integer fuisset, ab ista sensuum *intemperie* abfuerat, vitio & propria culpa demum invec̄ta est. Nobis denique vitio vertitur *non* ³⁸⁾ *difficultas ipsa*, quæ cum natalibus allata, haudquaquam nostra ipsorum culpa demum orta est, sed quod difficultatem *non superamus*. Adoratio Christi, ut hoc exemplum ³⁹⁾ subjiciamus, haud repugnat contra interdictum, ut Dei imaginem ne quis sibi fingat. Quod si enim, ut sacræ literæ docent, ipse Deus hominem Jesum, a se procreatum ⁴⁰⁾, singulari prorsus modo secum conjungere & suam in eo perfectionem luculentissime omnium exhibere voluit (Jo. V. 26. Col. I. 19), hanc Dei imaginem (v. 15) *non nosmet ipsi nobis* (Ex. XX. 4) *fecimus*, sed *Deus proposuit*. Deinde non docemur confundere naturam Christi divinam cum humana, illive ipsi, per se spectatæ, hominis, quo tanquam singulari instrumento suo utitur, formam ac speciem affingere; sed a reprehensione anthropomorphismi longe absumus. Et enim *sensilis* cujusdam *formæ* aut imaginis cogitatio, quæ uni-

ver-

37) cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 42.

38) l. l. p. 37.

39) cf. l. c. p. 291.

40) cf. supra not. 17.

verse cogitationi divinitatis tam facile sociam se adjungit ⁴¹⁾, ad cogitationem divinitatis ab iis, qui Christum adorant, non temere adjungitur, sed *in facto posita* conjunctione naturæ divinæ cum humana nititur, neque tamen minus, quam cogitantes de Deo philosophi, ab humanarum rerum contemplatione nos abstrahimus ⁴²⁾, ut primum de ipsa natura divina quæritur, quam, etsi conjuncta est cum humana, per eamque singulariter agit, tamen ab instrumento suo diversam esse teneamus ⁴³⁾. Ipsa hæc notio christiana, si recte teneatur, magnam vim habet ad superstitionem cavendam. Dum enim concedit hominibus, de Deo, nullis sensibus patente ⁴⁴⁾, cogitaturis, ut ad *hominem* Jesum animo & cogitatione se convertant, qui, ut similis ac necessarius sit nobis, ita *cum divinitate* idem *unice* conjunctus sit; proclivitati humanæ ad anthropomorphismum ita subvenit, ut *nullam* aliam *rem sensibilem* Deo item patiatur conjunctam haberi, & ab ipsa hominis Jesu cogitatione mox perducatur animum ad cogitationem *invisibilis* divinitatis, quæ homini Jesu singulariter adsit, & unde expectanda sint, quæ ab homine expectari non poterant.

§. IV.

41) v. l. c. p. 281. 242. cl. *Fichte* Versuch einer Krit. aller Offenb. ed. 2. p. 80.

42) v. *Kantii* Crit. der pract. Vern. p. 245—249.

43) v. S. R. *Griesbachij* Anl. zum Stud. der popul. Dogm. §. 134. d) ed. 2.

44) v. Crit. proxime laudatam p. 245. f.



§. IV.

Ut veniamus ad alterum genus exemplorum, superstitiona profecto, turpis & nocens hæc opinio est ⁴⁵⁾, merum assensum ⁴⁶⁾, quo doctrina de expiatione comprobetur, etiamsi nondum adfit bonum propositum & emendationis ne quidem initium sit factum ⁴⁷⁾, tamen valere ad peccati veniam adipiscendam. Sed à biblica theologia ⁴⁸⁾ nihil abest longius ista opinionis pravitate. Quis enim nescit, *præponi* solere non ⁴⁹⁾ fidem justificam, sed *poenitentiam* peccati ac detestationem, ipsamque, cui poenitentia antecedit, salvificam fidem haudquaquam in assensu frigido, narrationi ⁵⁰⁾ de satisfactione præbendo, sed in ejusmodi ⁵¹⁾ affectione animi & sensu poni, cui ne locus quidem sit absque animi emendatione? Nam, ut alia ⁵²⁾ prætereamus, literarum sacrarum narrationi de satisfactione nemo potest ⁵³⁾

ex

45) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 164 - 168.

46) l. c. p. 161.

47) l. l. p. 168. 161.

48) „dem Kirchenglauben.“ p. 164. coll. p. 153. 141.

49) l. c. p. 164. 166 - 168.

50) Fides salvifica haberi debet pro *historica* (p. 168), quatenus est persuasio de *re historica* (in facto polita, cf. p. 166. l.), sed persuasio ipsa plurimum distat ab *historica*, quam *theologi* appellant, fide, hoc est, a notitia & assensione, quæ per se ipsa inefficax sit bonorum sensuum ac studiorum, quæve ad emendationem animi ac vitæ nullam vim habere intelligatur, nisi magicam (cf. p. 168) formas. cf. infra §. IX.

51) v. Doctr. christ. part. theor. §. 119. c).

52) l. c. p. 334. 337. extr.

53) l. c. §. 121.

ex animo confidere, quin ducatur auctoritate Jesu Christi & apostolorum, quæ eadem animi vitæque emendationem tam severe urget⁵⁴⁾, ut hujus negligentes esse nequeant, nisi qui illam omnino contemnant ipsique igitur doctrinæ de expiatione *re vera* confidere nequeant. Uno verbo, auditoribus doctrinæ biblicæ de satisfactione nulla alia conditione⁵⁵⁾ spes veniæ peccati & salutis fit, quam si studeant animi vitæque emendationi. Atqui sub eadem conditione etiam *Kantius*⁵⁶⁾ spem gratiæ⁵⁷⁾ divinæ facit. Qua vero nominatim ratione huic universæ⁵⁸⁾ spei queat satisfieri, quive illi clementiæ consentiat justitia divina⁵⁹⁾, ratio per se sola nequaquam definire potest⁶⁰⁾, quumque adversa & mala hujus vitæ, quæ hominem emendatum affligunt, universe⁶¹⁾ putantur⁶²⁾ pro pœnis, quæ superioris⁶³⁾ vitæ peccatis debeantur, sumitur theoretica *υποθεσις*⁶⁴⁾, eaque talis⁶⁵⁾, quæ practicam necessitatem

54) v. celeberr. *Kantium* l. l. p. 225. fs. 145.

55) v. Luc. XXIV. 47. & Doctr. christ. pars theor. §. 122. item Ven, *Tieftrunk* l. c. p. 347. fs.

56) l. l. p. 162—164. 96.

57) l. l. p. 164. 94 f.

58) l. l. p. 246. 163.

59) l. c. p. 96.

60) l. c. p. 246. f.

61) l. c. p. 93. f.

62) p. 89. fs.

63) p. 88-90.

64) v. p. 163. Et tanto quidem incertior est *υποθεσις* illa, quod mala hujus vitæ spectari etiam poterant ut pœna ejus, quod *post emendationem* peccatur a nobis (cf. p. 119. 78. f.); quod porro cum hac sumtione, res adversas esse pœnas, quibus homo emendatus vitæ *superioris* causa teneatur, non congruit *mensura* malorum, quæ non solet accommodata esse ad vitæ, emendationi præviæ, rationem.

65) cf. supra §. I.



tem ⁶⁶⁾ non habeat ⁶⁷⁾. Ergo locus certe relinquatur alii *υποθεσει*, veluti biblicæ, de qua hoc loco uberius exponere nihil attinet. Illud liceat admonere, ut cogitent lectores, *υποθεσει Kantii* ad usum, quem habere dicitur ⁶⁸⁾, negativum non meliorem esse biblica, quæ talem profecto satisfactionis modum tradit, ut veniæ peccati & salutis spem in eo re vera sibi ponere nemo possit, quin hoc ipso necessitatem emendationis animi & obedientiæ agnoverit & sanctitatis legis reverentior evaserit ⁶⁹⁾. Neque Jesus *nostra vice* obedivit & paruit voluntati Dei, neque ejus obedientia *nostræ* vel absentiam explet vel pretium ac vim auget ⁷⁰⁾, sed Jesus *sua* obedientia hoc *sibi* obtinuit præmii loco ⁷¹⁾, ut felicitatis genere, quo per nos ipsi, *quamvis emendati*, non sumus digni, quoque nec *digna censetur* ⁷²⁾ imperfecta obedientia nostra, *ipsius*

66) *Theoretica utilitas*, quam l. c. p. 95. f. *Kantius* laudat, *υποθεσεως* probandæ necessitatem propterea non imponit, quod fieri facile potest, ut ratio, quæ alia multa explicare nequit (l. c. p. 270. cf. supra not. 13), nec docere possit, quo modo reorum absolutio consentiat cum justitia divina.

67) v. *Kantium* l. l. p. 246. f. 95. f. 163.

68) l. l. p. 96.

69) *Doctr. christ. pars theor.* §. 92.

70) cf. ill. *Kantium* l. c. p. 166. f. 96.

71) *Comm. in ep. ad Hebr.* p. 667. fs.

72) Quum probi dicimur *censeri*, non dicimur nisi *tropice*, h. e. in eam sententiam, ut *trahemur* tanquam probi talique felicitate digni, quamvis Deus probe videat, nos ea dignos non esse (v. *Comp. dogm.* §. 117. d. e). Quia suum cujusque pretium ipsum non adventitio pondere additoque alieno momento, sed veritate ju-

ipsius gratia nobis frui liceat. Cum enim vitæ animique in-
doles nunc emendatior superiorem reatum non tollat, officia-
que semel prætermittenda post deinde persolvi nequeant⁷³⁾; ho-
mini *mutato in melius* non illud genus felicitatis, quo homi-
nes fruituri erant, si *integros* se & sceleris puros servassent,
sed mistam præmiis & pœnis⁷⁴⁾ promeritis conditionem ex-
pectare jus est. Quod si vero Deus non qualemcunque feli-
citatem, sed illud proprie genus felicitatis proponere nobis vo-
luit, quod hominibus, si mansissent integri, destinatum fue-
rat; *munifice* dat, eaque munificentia haudquaquam abhorret
a justitia⁷⁵⁾. Neque enim hæc benignitas Dei ad sanctimo-
niam respectum non habet, sed magnificentiori genere felici-
tatis sub eadem conditione⁷⁶⁾ potimur, sub qua felicitatem,
quamcunque Deus voluisset dare, nancisci oporteret, hac ni-
mirum conditione, ne emendationis animi negligentes simus, &
ut propositæ felicitatis mensuram expectemus accommodatam
ad mensuram studii sanctimonix. Neque liberalitatis, qua
Deus utitur, magnificentia arbitraria est, sed conditionis ho-

judicatur; propterea *nullo nostro merito, sed mera gratia* Dei &
Christi hac felicitate dicimur beari (l. c. §. 73, 118). Ceterum im-
meritæ, quam Christo acceptam referimus, felicitatis *mensura* ex
sua cujusque animi & vitæ indole pendet, eademque æstimata ex
veritate, non ex opinione.

73) v. *Kantium* l. l. p. 88.

74) Quatenus vel in homines *emendatos* cadat puniri, celeberr. *Kan-*
tius ostendit p. 93. f.

75) v. *Comp. dogm. cit. §. 73. a).* & *Ven. Tieftrunk* p. 348.

76) v. *supra* not. 55.



minum, de quorum consensu cum lege quæritur, rationem habet⁷⁷⁾. Illa enim calamitas, quam posteri Adami ex sacrarum literarum sententia (§. III) sine culpa sua acceperunt, eo saltem valere poterat, ut, cum alia certe sit⁷⁸⁾ causa hominum, qui hac calamitate premuntur, alia hominum, qui liberi essent ab allata cum natalibus difficultate consentiendi cum lege, non eidem utrinque severitati locus relinquatur. Et tamen, ne cui ansa daretur ad abutendum misericordia, qua mitigatam iudicii severitatem res & causa hominum flagitabat, neve respectus Dei ad difficultatem, quam habeat animi vitæque hominum conformatio ad legem, probabiliter trahi posset in segnitæ materiam, ut igitur in ipso spei fundamento impressa extaret conditio⁷⁹⁾, quam repudiare non liceat, non modo amplissimum illud felicitatis genus non directo hominibus, qui ejus fructu haud digni sunt, verum Jesu Christo propositum fuit, qui ejus assignandi potestate per *obedientiam* se dignum præbuit, ejusdemque possessionem & *mensuram assignabit* profecto accommodate ad suam cujusque *obedientiam*, quoad⁸⁰⁾ expectari poterat; sed ipsi etiam insuper Jesu ab inexorabili⁸¹⁾ justitia Dei illa conditio lata fuit, ut, si supplicium hominum condonari sibi vellet, ejusmodi mala subiret, quæ pec-

77) cf. *Kantium* l. l. p. 201. lin. antepenult. & penultima,

78) Comm. in ep. ad Hebr. p. 660. 662.

79) v. supra not. 76.

80) v. not. 77. & Comp. dogm. §. 121. e).

81) v. Comm. in ep. ad Hebr. p. 600. fs. cf. *Kantium* p. 201.

peccantium propria esse solent⁸²⁾. Quamquam enim culpa Adami, qui vitiosam illam difficultatem convenienter cum lege vivendi tum sibi tum posteris attulit, ipsorumque posterorum Adami culpa, quam obsequio indulgentiaque in vitiosam illam difficultatem committunt, in Jesum conferri non potuit⁸³⁾, hujusque culpæ pœna eatenus non cadit in Jesum: ea tamen mala, quæ Jesus patiendo tulit, hoc consilio injungi & hætenus⁸⁴⁾ pœnæ vim habere⁸⁵⁾ potuerunt⁸⁶⁾, ut palam facerent⁸⁷⁾, negotio servatoris hominum, qui non modo destinata felicitate non digni, sed etiam⁸⁸⁾ damnatione digni sint, & tribuendæ iis tantæ salutis potestati, quam restitutor salutis humanæ obediendo consequi debebat, pœnam, qua teneamur, vel maxime obstitisse⁸⁹⁾, & hoc salutis nostræ impedimentum tam certo⁹⁰⁾ quidem superatum esse, quam certo servator noster gravissima citius mala subierit, quam ut consilium nobis salutare abjiceret, itaque veniam peccati nos impetrare, nisi si impressam satisfactioni conditionem⁹¹⁾ forte repudiemus; sed, qui pertinaciter nolint ab obsequio indulgentiaque difficultatis illius vitiosæ, quoad⁹²⁾ possint
fint

82) l. c. p. 68. f. 90. f.

83) l. c. p. 88.

84) Comm. in ep. ad Hebr. p. 487.

85) l. c. P. II. §. 7—II.

86) l. c. §. 12. 15. 18.

87) Comp. dogm. §. 91. l). §. 92. d). p. 259.

88) l. c. p. 329. cf. ill. *Kantium* p. 207.

89) Comm. in ep. Hebr. p. 598. f.

90) l. c. p. 605. f.

91) v. supra not. 79.

92) v. not. 80.



sint, discedere, iis poenæ, qua teneantur, effugiendæ spem tanto certius præcidi⁹³⁾, quanto ægrius & quanto majore cum molestia sua poenæ debitæ liberationem vel iis impetraverit Jesus, qui ad conditionem latam accedere non reculent.

§. V.

Redimus ad illud, quod initio (§. I) scripsimus. Maneat ergo, sacrarum literarum de divinis nostræque experientiae non obviis rebus *Ἐρωπιαν* secundum criticæ philosophiæ præcepta *negari* non posse (§. II-IV), quique eam ut convictam insulfitatis fractamque rejiciant, eos, si disciplinæ *Kantianæ* alumni esse velint, discedere a sese nec constare sibi⁹⁴⁾.

§. VI.

Haud paullo magis consentiunt principiis suis, qui de his capitibus *nec assentiri* audent sacris literis, sed rem omnem *in medio relinquunt*, dummodo re vera (cf. §. VII. XVI. fs) in medio relinquunt. Cum enim ratio theoretica *per se ipsa* nihil universe de his rebus constituere possit, sacrarum quoque literarum enunciationibus in hac parte assentiet *temere* (§. I), si iudicium *per se* sola facere debeat, nec aliunde (§. VII) probabilis detur causa assentiendi.

§. VII.

De rebus, quæ, licet possint humano sensu accipi, in nostrum certe sensum non incurrerunt, *ex auctoritatibus & testi-*
mo-

93) Comm. cit. p. 600. fs.

94) v. laudatum *Tieftrunk* Præf. p. V. fs.

monii cognoscere solemus. Verum in ea caussa, de qua quærimus, hoc est, in rebus, quas humana ratio, ut disjunctas a communi hominum sensu & experientia, universe nescit (§. V. VI), nemo homo auctoritatem habet, nisi forte constet, ei seorsum ab aliis hominibus & *singulariter* contigisse, ut aliunde sciat, quæ per se non magis poterat scire, quam nos ipsi. At major profecto ad ejusmodi rerum fidem faciendam auctoritas quæri non potest quam *divina*. Quod si ergo certis hominibus a Deo singulari modo patefacta fuerunt (Matth. XI. 27. Jo. III. 11-13. 1 Cor. II. 7-12), quæ aliis hominibus non patent, & de ipsa ope, his nominatim viris divinitus lata, constat; horum *dictis auctoritatem & fidem recte* adjungimus, qualem nemini alias in tali caussa tribuimus. Tota igitur res ad quæstionem *de facto* revocatur. Cum enim ratio per se tantum arrogare sibi non possit, ut vel de rebus, de quibus quæritur, in utramvis partem ⁹⁵⁾ aliquid constituat (§. V. VI), vel in univsum neget ⁹⁶⁾, ulli homini divinitus aliquid patefieri posse; relinquatur, ut vel (cf. §. VIII. fs) de tota quæstione penitus se contineat

95) Dum sumimus, rationi nefas esse divinam ejusmodi præceptorum originem *negare* (§. V), hoc ipso sumimus (§. III. IV), doctrinam, de qua quæritur, *non pugnare cum religione morali*. Sed hic contentus (v. ill. *Kantium* l. I. p. 142. 145. 181. f. 224. 239) non continuo (cf. ipsum philosophum laudatum p. 156) fidem facit, doctrinæ christianæ partem naturalem (l. c. p. 218. fs), ne dicamus, reliquam (p. 233. fs), *divinitus* patefactam fuisse, quod ipse etiam *Kantius* p. 225. videri possit confirmare; verum hoc duntaxat arguit (l. c. p. 154. 142), nihil vetare, ne hæc doctrina *forte possit* esse divinitus orta.

96) v. supra not. 16.



tineat a judicando, vel (cf. §. XVI. fs) accommodate ad naturam quæstionis *historicæ* ⁹⁷⁾ dispiciat, quid igitur *in factō positum* fit, an ii, de quorum doctrina existit quæstio, re vera testimonium dixerint de singulari quadam, cujus sibi liquido consciī fuerint ⁹⁸⁾, efficiētia Dei in ipsorum animis, an hujus sensus, qui, cum internus paucorumque proprius fuisse dicatur, non potuit cum aliis communicari, fidem certe fecerint eventa, quæ aliorum sensibus percepta fuissent, an igitur certa sint testimonia, quæ horum eventuum confirmandorum causa sumantur, an divini illi legati hoc re vera ipsum dixerint, quod ipsis tribuatur eorumque auctoritate pro vero habeatur. Ex quibus sequitur, ut, si qui habeant, quod in argumentatione historica desiderent, ii suo jure contradicant, si quis autem, profectus a *Kantio*, repugnet *propterea*, quod ejusmodi doctrina sacrarum literarum *nullo principiorum rationis, sibi relicta, consensu firmetur*, is secum ipse pugnet. Quibus enim *hæc causa* justa videtur ad *rejiciendam* aliquam doctrinam, ii, quæ ex rationis suæ principiis ducere ac probare nequeunt ⁹⁹⁾, haud relinquunt in medio (cf. §. VI), sed continuo *negari* posse sumunt, quod tamen nefas esse concedunt (§. V).

§. VIII.

Sed videamus *primo*, num iis, quibus christiana doctrina innotuit, justa sit causa, cur *ab universa*, quam diximus (§. VII),

97) v. *Kantium* l. I. p. 153. f. 234. f. 139. fs. 149. 183. f.

98) v. *Comp. dogm.* §. 7. a). §. 36. c). p. 128.

99) v. *Kantium* l. I. p. 233. 139. 220. 235.

(§. VII), *historica quæstione se contineant*, &, seposita ¹⁰⁰⁾ doctrinæ christianæ historica ¹⁰¹⁾ parte, quæ, cum ab rationis sibi relictæ principiis peti non possit ¹⁰²⁾, auctoritate Jesu & apostolorum nititur (§. VII), in altera parte acquiescant, quam ratio per se ipsa confirmet ¹⁰³⁾. Principio igitur facile consentimus, christianam fidem, quoad non ratione per se sola, verum historia nititur, haud patere latius, quam historix & caussarum fidei habendæ notitia pateat ¹⁰⁴⁾, eaque de causa neque communem omnibus esse posse neque ad salutem adipiscendam omnibus promiscue hominibus necessariam esse ¹⁰⁵⁾. Verum enim verò theologia biblica non, ut *Kantius* perhibere videtur ¹⁰⁶⁾, *communiter omnibus* fidem illam christianam injungit ¹⁰⁷⁾, sed *eis* ¹⁰⁸⁾ separatim, *ad quos historix notitia pervenit*. Unde miramur, quid sit, quod subtilissimus philosophus ex naturalistarum, purorum rationalistarum & supernaturalistarum, quos vocat ¹⁰⁹⁾, numero sejungendos non putaverit eos, qui cum rationalistis *contra supernaturalistas*

100) l. c. p. 43. f. 152. 225.

101) l. l. p. 233. fs. 165. fs. 188. f.

102) v. not. 99.

103) v. celeberr. *Kantium* p. 218-220. 225, 231, 184.

104) l. c. p. 137.


105) l. c. p. 140. f. 147. 149. 158. fs. 259.

106) l. l. p. 247. 166. f. 215. 218. 233.

107) v. Comp. dogm. §. 71. S. V. *Baumgarten* — *Crusii* Schrift und Vernunft für denkende Christen T. I. p. 80. fs.

108) cf. *Kantium* l. c. p. 158.

109) l. l. p. 216—218.



*fla*s consentiunt, revelationis divinæ supernaturalis *notitiam*¹¹⁰⁾, qua magna pars hominum nulla sua culpa caret, ad religionem colendam nec absolute necessariam esse, eique habendam fidem non pertinere ad eam, quæ *omnibus communis*¹¹¹⁾ esse debeat, religionem, qui vero iidem *cum rationalistis* de eo *dissentiunt*, quod ab hoc hominum genere revelatio *eatenus tantum* admittitur¹¹²⁾, ut oppugnare eam nolint, ceterum ea ipsa de causa, quæ¹¹³⁾ ab impugnando revocat (§. V), *nec assentiantur*¹¹⁴⁾ revelationi, sed rem omnem in medio relinquant (§. VI), neque suum officium¹¹⁵⁾ aut partes suas esse arbitrentur, nec religionis suæ multum interesse putent, ut revelationis, *cujus tamen notitiam habent, veritatem agnoscant*¹¹⁶⁾, eique fidem adjungant.

§. IX.

Illud vero desinimus mirari, christianam religionem a permultis non magno æstimari¹¹⁷⁾. Cum enim censeant, summam ejus causamque totam consistere in religione naturali¹¹⁸⁾, historicam vero partem, quam revelatio, si qua forte¹¹⁹⁾ accide-

110) cf. p. 217.

111) cf. p. 218.

112) cf. p. 217.

113) Intelligimus hanc causam, quod rationalista exiguis sane finibus rationis suæ continetur, quæ in utramque partem nihil statueri potest. v. p. 218.

114) l. c. p. 142.

115) p. 216. f.

116) p. 217.

117) Accusamus igitur frigus (Gleichgültigkeit p. 165), non pugnam & dimicationem (Widerseztlichkeit p. 165, Bestreitung p. 218) adversus revelationem.

118) l. c. p. 245. 137. extr. 140. 153. 158.

119) v. supra not. 114.

ciderit ¹²⁰), ad naturalem, cujus repetitio usum aliquem habere queat ¹²¹), religionem adjunxerit ¹²²), servuisse tantummodo ¹²³) alteri, quæ naturalem religionem complectitur, parti introducendæ in usum multitudinis, quæ hac via capiatur & indigeat ¹²⁴); cum præterea hoc ipsum remedium, si fides, historicæ parti tributa, *morale pretium non habeat* ¹²⁵), idque tamen assignetur ei a vulgo, officium hac fide habenda in Deum conferri opinante ¹²⁶), non possit non valde anceps videri ¹²⁷): mirum profecto non est, si tenentes hanc sententiam in fide historica, quæ literarum sacrarum ¹²⁸) auctoritate ducatur, paulatim amovenda continuo enitendum esse putent ¹²⁹), dum ad eam perfectionis metam ¹³⁰) perveniant.

120) v. *Kantium* l. c. p. 149. extr.

121) l. c. p. 219.

122) p. 220 224. f. 123) l. c. p. 140-144. f. 158. 160. 164. 187. extr. 253.

124) l. c. p. 263. 236. 187. f. 125) p. 189. f. 247. 159.


126) p. 138. 143. 242. 245—248.

127) p. 187. f.

128) p. 195.

129) p. 158. 169—172. 214.

130) Etiam nos christiani confidimus, ecclesiæ, cui Deus in præsentia malos homines admistos esse idoneis de causis (l. c. p. 194. cf. *Comp. dogm.* §. 105) patitur, aliam, eamque perfectiorem, faciem posthac fore, non quo ab hominum, fortis nascendi beneficio una unquam viventium, voluntate (cf. *Kantium* p. 122—124) aut rationalistarum studiis (p. 171. f. 188. fs) speremus, omnes tandem in his terris legi morali, quam ratio Deusve per rationem præscribat, sua sponte obtemperaturos esse (p. 170), sed quod literarum sacrarum narrationi (cf. p. 192—195) de consiliis divinis credimus, meliores homines, qui jam sunt meliores (p. 212), ab hominibus pravis divina virtute (cf. p. 128. 133) dissociatum iri, talemque societatem tum in amore mutuo (1 Cor. XIII, 8. cf. l. l. p. 158) tum universe in virtute (p. 170) tanto felici-



niatur, ut religio naturalis sola dominetur, atque ita demum sit Deus *παντα εν πασιν* ¹³¹). Hic igitur nemo theologus abnuerit, fidem, in doctrinæ christianæ historica parte *sic* verfantem, ut sola notitia rerum traditarum & frigido, qui, dum resistere hominis nihil refert, nec repugnat contra veritatem, assensu contineatur, majoris pretii habendam non esse, quam doctrinæ de religione naturali meram notitiam cum frigido assensu conjunctam. Sed ut valde iniquum foret, in hac caussa (objective) rationali hominis, qui, Deum esse, ab

licius processuram esse (cf. *Comp. dogm.* §. 62), quanto magis officit & obstat (cf. *Kantium* p. 120. f.) progressibus in virtute societas hominum, ad morale bonum colendum non intentorum. Atque in illo ecclesiæ adultæ (Eph. IV. 13. 1 Cor. XIII. 11. cf. p. 170) triumpho (cf. p. 158) nos quoque fatemur nihil porro opus fore imperfectiore illa cognitione (v. 8—12), qualis & cognitio prophetarum fuerat (v. 8. f.), quibus revelatio supernaturalis, præsentis hominum conditioni accommodata, obtigit, & nitens tali revelatione ejusque monumentis, in sacra scriptura extantibus, fides ac spes (v. 13) est (v. 12), hujus igitur formæ cognitionis finem expectamus (v. 8. 10. 11. 1 Petr. I. 9), neque tamen idcirco perfectionem, quam speramus (1 Cor. XIII. 10), omnem in eo sitam esse censemus, ut fidei rationalis angustiis (cf. p. 216. *Crit. der Urtheilskraft* p. 457. f.) contenti esse debeamus (cf. mox not. 131. & *Kantii* *Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern.* p. 158.), sed rationis humanæ paupertati Deum novis, quæ offeret, *datis*, aut, si malis, perfectiore quodam *revelationis genere* subventurum esse confidimus (v. 12). Ceterum perfectiori illi cognitionis formæ, quam Paullus ut *futuram* spectat (v. 10. 12), in altera demum vita locum fore, tum versiculus 12. qui describit (cf. *Diff. de beata vita post mortem* p. 28) cognitionem, hujus vitæ tenuitati non convenientem, tum locus similis 2 Cor. V. 6—8. tam perspicue docet, ut nec S. V. *Tellerus* (*Rel. der Vollkommnern* p. 20) contradicere ausus sit.

131) v. celeberr. *Kantium* I, I, p. 169, 194. f., 160, 253.

ab eoque boni moralis remunerationem expectandam esse, firme & ex animo confidit (Ebr. XI. 6. 1. ¹³²), eamque fiduciam in defendenda ac propulsanda contra legem moralem dubitatione tuetur ¹³³, fidem (*subjective*) *moralem* velle metiri (*subjective* ¹³⁴) *historica* cognitione hominis, qui causam, cur, Deum aliamque ab hac praesente vitam esse, sumamus, edidicerit quidem, sed cognitione sua non utatur, ut par est; ita nec in causa (*objective*) *historica*, si qui in notitia (*subjective*) *historica* ¹³⁵ subsistunt, illico sequitur, aliorum fidem firmiorem, efficacioram & (*subjective*) *moralem* esse non posse, nisi vero putamus, ex (objecto, seu) *materia historica*, in qua fides christiani versetur, quomocumque tandem in ea versetur, *moralem* fructum universe non posse ferri, de quo ipso videbimus deinceps.

§. X.

Ut paullo altius repetamus, quod quaerimus, *materia voluntatis* ¹³⁶ *necessaria* ¹³⁷ est felicitas nostra, sed, cum ex hac parte sensus proponant & appetant *commoda* ¹³⁸, illinc
autem

¹³²) Crit. der reinen Vern. p. 856. Crit. der Urtheilskraft p. 456. fs. cf. infra not. 256.

¹³³) l. l. p. 458. f.

¹³⁴) v. Crit. der reinen Vernunft p. 863. f.

¹³⁵) cf. not. 134. 50.

¹³⁶) Crit. der Urtheilskraft p. 455. Crit. der pract. Vern. p. 38. 131.

¹³⁷) l. l. p. 45. f. 107. f. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 47. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 12. 42. cf. infra not. 147. 148.

¹³⁸) „Wohl.“ (Crit. der pract. Vern. p. 104. f.)

autem ratio jubeat, aut vetet, aut permittat, voluntas, cujus est in alterutram partem decernere, vel postulata sensuum rata facit, & legi præfert, vel rationis jussa ita sequitur, ut postulationi sensuum anteponat legem, *quique non concedat, nisi annuente lege* ¹³⁹⁾. Jam causa, quare voluntas bona postponat omnia concupita, e sensibus pendentia, dummodo præceptis rationis pareat, non est in sola lege (*objective* spectata ¹⁴⁰⁾, quæ etiam voluntati perversæ similiter a ratione præscribitur ¹⁴¹⁾, sed in certa *affectione* voluntatis rectæ, per quam (*subjective*) *interest* hominis, legem valere, quamque dixeris *reverentiam* legis ¹⁴²⁾. At reverentia legis necessario cohæret cum fiducia legis *tanquam optimæ certissimæque ducis nanciscendi veram felicitatem*. Nisi enim lex haberetur pro duce felicitatis adipiscendæ, eam ducem nemo sapiens, commodis, quæ sensus offerunt, posthabitis, *velle* posset sequi, cum voluntatis necessaria materia sit ¹⁴³⁾ felicitas. Ipsam honestatem ac virtutem agnoscimus suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede ¹⁴⁴⁾. Quod si vero hominem, qui ad prave facien-

139) v. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 20. 30. f. & maxime celeberr. Reinholdi Briefe über die Kantische Philos. T. II. Ep. 6. Allg. Liter. Zeit. 1793 N. 194. p. 27. fs.

140) Crit. der pract. Vern. p. 133. 135.

141) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 28. f. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 112.

142) Crit. der pract. Vern. p. 129—158. cel. Fichte l. l. p. 17. fs.

143) v. not. 137.

144) v. ill. Kantii scriptum proxime laudatum p. 270. fs. & cf. *critica* Phil. IV. 8.

ciendum nec præmiis propositis nec doloris mortisque metu nec familiæ, orbitatem suam deplorantis, lamentatione invitari potuerit ¹⁴⁵⁾, inducamus αἰθρῶν, qui mortem putaverit esse interitum omnia tollentem atque delentem; ipse splendor honestatis obsolescit his sordibus. Qui constantiam hominis, in talibus angustiis Deo confidentis & recte facientis, magno eramus opere admiraturi, iidem nunc admirabimur hominis pertinaciam & sententiæ obstinationem, sed dolebit nobis, quod suspicere eum & sapientem habere non licet. Quomodo enim sapiens vocabitur, qui non modo non curet ¹⁴⁶⁾, quorsum hæc omnis despicientia rerum externarum evasura sit, sed qui statuat etiam, per hanc ipsam actionem fieri, ut ipse cum omni dignitate sua & pretio opinabili ad nihilum recidat? Cum *necesse sit* ¹⁴⁷⁾ homini, finem aliquem, quorsum recte facta pertineant & fluant, hoc est, materiam aliquam voluntatis, seu felicitatem ¹⁴⁸⁾, requirere, *necessarius* hic finis non potest in dubium incertumque revocari aut negari, quin reverentia legis moralis infirmetur aut tollatur. Qui enim reverearis legem, humanæ naturæ impositam, quam eandem non sumas aptam, imo quam statuas ineptam esse ad finem, humanæ naturæ propositum necessario? Quidni hac ipsa de causa

(1 Cor.

145) l. l. p. 277. f.

146) cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. Præf. p. XI. f. Crit. der Urtheilskr. p. 455. f.

147) v. Præf. laudatam p. VI—VIII, XII. cl. *Fichte* p. 54. f.

148) v. Præf. cit. p. X. f. Crit. der Urtheilskraft p. 456.



(1 Cor. XV. 32) vel dubites de sanctitate legis vel omnino habeas eam pro vana & fallace ¹⁴⁹⁾? Et, si lex vana judicetur, qui violator legis despiciere se poterit, quod fallacibus jussis decipi se non passus fuerit, sed certa commoda & salutem suam præposuerit vanæ legi? Si opinio de sanctitate legis fallit, non minus vana ac contemnenda est opinio de dedecore vitæ ac turpitudine, quam legis violatio habeat. Unde religionis contemtores *sibi certe ipsi haud consentiunt*, nec sapientes usurpandi sunt, si qui legis moralis, quam felicitatis adipiscendæ ducem esse negent, jussis ideo ¹⁵⁰⁾ se obtemperare perhibeant, ut despiciatui se ducere non debeant ipsi. Quin ipsi potius, nisi falsam de se opinionem habent aut verum fateri nolunt, haudquaquam legis reverentia, de cujus integritate iudicium universe tam anceps est ¹⁵¹⁾, sed studio commodi alicujus, velut gloriæ, seu frequentis de ipsis famæ cum laude honestatis ipsiusque magnanimitatis ¹⁵²⁾, se duci profitebuntur. Quando igitur vis virtutis hoc magis enitet, quo diligentius *externa omnia hujus vitæ* ¹⁵³⁾ commoda removentur ¹⁵⁴⁾, contraque splendor virtutis ita minuitur aut tollitur, ut spes felicitatis *in universum spectatæ* infirmatur aut abjicitur; apparere censemus, *univer-*
sa

149) „bloffe Täuschung unserer Vernunft.„ (l. c. p. 456), „leeres Hirngespinnst.“ (Crit. der reinen Vern. p. 839). cf. p. 856. & infra not. 158.

150) Crit. der Urtheilskraft p. 421. cel. *Fichte* l. c. p. 26. cf. ill. *Kantii* Crit. der pract. Vern. p. 157.

151) v. Grundlegung zur Metaph. der Sitten p. 48. f.

152) cf. Crit. der pract. Vern. p. 279, ss. 151. f.

153) l. c. p. 277. f.

154) l. c. p. 279.

sa expectatione felicitatis, ab obtemperacione legibus morali-
 bus sperandæ, tantum adjuvari virtutem, quantum ejus vi
 ac pretio detrahat respectus habitus ad externa hujus vitæ
 commoda. Quod homo non ut bestię (Jud. v. 10), in eam
 duntaxat voluptatem, quam sensus objiciunt, omni impetu fer-
 ri cogitur, sed rationis beneficio legem aliquam intelligit, quæ
 alia quidem bona, a sensibus oblata, permittit, aliis vero pro-
 hibet, sæpe etiam jubet, quæ sensuum judicio sunt injucun-
 da, molesta & acerba, quodque legem illam, posthabitis at-
 que contemptis ¹⁵⁵⁾ sensuum illecebris ac renifu, sua sponte se-
 qui potest, satis profecto argumenti est, in animo humano, be-
 stiis omnibusque rebus externis tam longe superiore, magnam
 aliquam dignitatem esse, per quam divina cognatione (Act.
 XVII. 28. f.) teneatur ¹⁵⁶⁾; sed ea demum lege firmum est ar-
 gumentum, ut sumamus, rationem non pugnare secum ipsam,
 sed cohærentia præscribere, neque igitur felicitatem ut ne-
 cessariam justamque voluntatis materiam modo *agnoscere* &
probare, permittendo voluptatem legi morali non contrariam,
 bonisque oblatis fruendi *jus* & potestatem *concedendo*, tum
 autem *rejicere ac improbare*, iisdem nobis, tanquam si *jus*
nobis non esset, velle, uti bene sit nobis, officia imponendo,
 quæ non modo ad præsentia commoda, majoris adipiscendi
 commodi caussa facile prætereunda, sed ne ad universam qui-
 dem hominis felicitatem pertineant, & quibus fungentes in-

com-

¹⁵⁵⁾ Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 64.

¹⁵⁶⁾ l. l. p. 53—55. 267. f. Crit. der pract. Vern. p. 154. f. 271. f.
 288. f. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 112. f.



commoda vitæ suscipere debeant, nulla commodorum compensatione lenienda ¹⁵⁷⁾. Quæ enim ista hominis dignitas, quæ excellentia præstantiaque reliquorum animantium foret, lege *secum haud consentiente*, hoc est, legis, quæ videatur, *non sit* ¹⁵⁸⁾ lex, *vana* opinione prohiberi, sensuum, quibus cetera animalia ducuntur, appetitiones libere sequi? Annon, si res ita se haberet, multo præclarius cum homine ageretur, si impetu solo regeretur, nihil interpellatus a ratione ¹⁵⁹⁾? In eo demum elucet hominum *dignitas*, si rationem lege morali imponenda simul *conditionem* ¹⁶⁰⁾ ferre sumamus, sub qua *felicitatem* possimus nancisci, *omnibus, quæ sensus offerant, commodis multo majorem*. Hoc enim ipso sumimus humanæ naturæ talem præstantiam, qua ¹⁶¹⁾ omnis felicitas, a sensuum obsequio expectanda, *inferior sit*, & consilium ¹⁶²⁾, de quo non item, ut bruta animalia, sensuum, qui altioris illius felicitatis viam monstrare nequeant, fortuito ductui relinquamur, sed certa agendi ratione *adstricti & legi*, quam ratio præscribit, subjecti simus, huc spectare censemus, ut ea via ad propositum nobis finem *excelsioris* felicitatis perveniamus. Re igitur vera laudabilis ¹⁶³⁾ *prudentiæ* (Luc. XVI. 8) est, in

157) v. cl. *Fichte* l. I. p. 32. fs

158) l. c. p. 34. 40. f. cf. supra not. 149.

159) cf. ill. *Kantii* librum proxime laudatum p. 5. 7.

160) l. c. p. 7.

161) cf. l. I. p. 20.

162) l. c. p. 4.

163) Non calliditatem, qualis erat injusti dispensatoris (cf. *Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern.* p. 229. f.), sed *dissimilem* istius, a justitia remotæ, prudentiæ, & omni reprehensione carentem prudentiam a Domino v. 9. commendatam esse, alias (*Diff. de parabolis Christi* p. 39) ostendimus.

bonis hujus vitæ administrandis *fideliter* versari (v. 9-12), & posthabitis omnibus hujus vitæ commodis, *legi morali* (divinæ) *parere* (v. 13). Ipsa enim fidelitas & obedientia *veræ felicitatis rectissima via* est (v. 9.f.). Ipse rerum externarum contemptus (v. 13. Matth. X. 37.f. XVI. 24) præ divinis jussis (lege morali) certissimam & maximam *utilitatem* affert (X. 39. XVI. 25.fs. Jo. XII. 25. ¹⁶⁴). Neque tamen ideo moralis doctrina in scientiam convertitur, ineundis subducendisque rationibus, ad utilitatem omnes actiones referendi ¹⁶⁵. Eorum enim, quæ ad veram felicitatem nostram pertinent, neque ita intelligentes neque tam præpotentes sumus, ut ex sententia succedere nobis possit *studium* metiendi omnia commodis nostris & calculos in vera felicitate ponendi ¹⁶⁶. Unde, si quærat, quid facere non licitum sit, quid fieri oporteat, quid liceat, simpliciter audienda est ratio, etiamsi lata sententia abhorreat ab utilitate, quæ nobis videtur. Sed cum homo *non possit non velle felicitatem*, existimare profecto nequit, *oportere se nolle felicitatem* eive repugnare. Ergo, naturam humanam sibi ipsam consentire, & leges, quas præscribat, etiamsi tantisper non videantur e re nostra esse, ad extremum tamen *spektare felicitatem nostram, confidamus oportet*, nisi vero *sensum auctoritatis legis*, quem exuere non possumus ¹⁶⁷, pro mendacio opinionis aut ludibrio naturæ ¹⁶⁸ ha-

164) cf. cel. *Fichte* p. 36. 165) l. l. p. 10.

166) v. ill. *Kantii Grundleg. zur Metaph. der Sitten* p. 4-7. 12. 45-47.

167) v. supra not. 141. & infra not. 185. 168) v. not. 149.



habere, & rationi, legem præscribenti, diffidere volumus, ut sensuum illecebris unice confidere & cupiditatibus obsequi possimus. Principium *cognoscendi* officii haudquaquam est felicitas, ne sita quidem in prudentia aut potestate nostra; sed *forma* voluntatis rectæ solo consensu cum lege, non perspicientia opportunitatis actionum utilitatisque judicanda est. Ipsius vero *obsequii* in legem consensusve cum ea (*subjectiva*) causa ¹⁶⁹⁾ non in sola ¹⁷⁰⁾ lege, quæ *formam* voluntatis pariter *inobedientibus* & obedientibus præscribit, sed etiam in *felicitatis*, quæ propria voluntatis *materia* est, *expectatione ab obsequio legis* videtur ponenda esse. Quamquam enim lex ipsa præcipit tantum, nihil diserte ac nominatim promittit ¹⁷¹⁾; hoc tamen ipsum, quod proposita est voluntati, *necessario* felicitatem cupienti, argumento est, eandem legem, quæ officiorum magistra sit, *felicitatis* quoque *ducem* esse. Hactenus ergo lex moralis *promittit* ¹⁷²⁾ *felicitatem, nexam ex obsequio legis, & hujus quidem felicitatis fiducia* ¹⁷³⁾, quumque ea spes ali & contra appetitus legi adversarios defendi non possit, nisi ¹⁷⁴⁾ mo-
ra-

169) „die Triebfeder” (Crit. der pract. Vern. p. 133. 135. elater animi p. 127).

170) l. c. p. 127. fs. 196. Die Relig. innerh. der Gr. der bl. Vern. Præf. p. III—V. cf. not. 182.

171) Præf. cit. p. XI. seq. ipsiusque libri p. 53. seq. Crit. der pract. Vern. p. 231.

172) Crit. der Urtheilskr. p. 457. der reinen Vern. p. 839.

173) v. not. 172.

174) Crit. der pract. Vern. p. 219. fs. Crit. der reinen Vern. p. 837. fs. Crit. der Urtheilskr. p. 453. f. 456. cl. Fichte l. l. p. 40. fs.

ralem naturæ auctorem & dominum sumamus, *Dei remuneraturi fiducia* (Ebr. XI. 6), seu ¹⁷⁵⁾ *religio* (subjectiva) requiritur, ut lex, quæ *formam voluntatis præscribit*, accommodata appareat ad naturam voluntatis, cujus *materia* est felicitas, sicque propositum & actiones lege possint conformari ¹⁷⁶⁾. Nec sane periculum est, ne, si bonum summum spectemus *integrum* (Matth. VI. 33. ¹⁷⁷⁾ Luc. VI. 35. f. 1 Tim. VI. 11. f. Tit. I. 1. 2. 2 Petr. I. 3. 4. ¹⁷⁸⁾, hoc est, non officium solum, sed & ¹⁷⁹⁾ *nexam ex eo sperandamque a Deo felicitatem* respiciamus (Matth. VI. 20. 21. 1-6. V. 12. ¹⁸⁰⁾ Luc. XVI. 9. Phil. III. 11-17. 20. Col. III. 1-4. 24. Eph. VI. 8. ¹⁸¹⁾ 2 Cor. IV. 18. 2 Tim. IV. 8. Ebr. IX. 28. X. 34--- XI. 1. 6. 16. 26. XII. 2), virtus nostra con-

175) Crit. der pract. Vern. p. 234. f. Alias religio, (*objective dicta*), latius usurpatur, neque solam doctrinam de *Deo & de felicitate perpetua*, ex obsequio legis nexa (cf. Relig. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 265. fs. Præf. p. IV. fs), sed ipsam quoque doctrinam *moralem* complectitur, ut libri laudati p. 222, cf. supra not. 118.

176) Crit. der reinen Vern. p. 840. 841. „Ohne einen Gott und eine für uns jetzt nicht sichtbare, aber gehoffte Welt, sind die herrlichen Ideen der Sittlichkeit zwar Gegenstände des Beyfalls und der Bewunderung, aber nicht Triebfedern des Vorsetzes und der Ausübung, weil sie nicht den ganzen Zweck, der einem jeden vernünftigen Wesen natürlich und durch eben dieselbe reine Vernunft a priori bestimmt und nothwendig ist, erfüllen.“

177) cf. Crit. der pract. Vern. p. 231. f.

178) Comm. in ep. ad Ebr. p. 688. fs.

179) v. celeberr. *Kantii* Crit. der reinen Vern. p. 841.

180) cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 229.

181) l. c. p. 230. f. not.

E

taminetur paruique pretii, imo nihili sit ¹⁸²⁾. Neque enim respectus ad felicitatem nostram habendus aliquid derogat de lege morali *objective* spectata ¹⁸³⁾, eamve commutat aliqua ex parte, sed forma voluntatis & materia actionis (sitne recta an prava, bona an mala,) item, ut si nulla prorsus ratio habeatur felicitatis, definitur, cum non de certo aliquo comodo, cujus adipiscendi viam persequi quodque accommodata ad hoc nominatim consilium agendi ratione nancisci velimus, sed de felicitate, non obvia experientiae, *nexa* autem *ex eo, quod in se* (moraliter) *bonum*, lege igitur ¹⁸⁴⁾ jam praescriptum atque definitum sit, quaeratur. Neque magis derogatur *venerationi* iustae, quam lex (bonum in se) habet, atque etiam in animo humano (*subjective*) efficit. Verum illa veneratio, quam lex etiam in improbis hominibus *interdum* efficit ¹⁸⁵⁾, non continuo parit *obsequium legis* ¹⁸⁶⁾, sed, ut homo melior evadat, constantia quadam reverentiae legis & dominatu contrariarum appetitionum opus est. Jam naturale & *physice necessarium* nobis est desiderium felicitatis. Ergo permanens reverentia legis, quod supra (p.26.fs) ostendimus, *non est in potestate nostra*, nisi ante omnia persuasum sit nobis, *moralem* ¹⁸⁷⁾ hunc sensum & physicum sensum desiderii
feli-

182) l. c. p. 19 f. & Praef. p. III—V. XI. f. Crit. der pract. Vern. p. 126. fs. maxime p. 127. f. 144—146. 166. 167. 232—234.

183) cf. l. l. p. 133. 135. 184) l. c. p. 105—112.

185) l. c. p. 141. f. 156. f. cf. supra not. 141.

186) Crit. cit. p. 154. cf. Grundl. zur Metaph. der Sitten pag. 57. f.

187) Crit. der pract. Vern. p. 133.

felicitatis non pugnare inter se. Quo demum posito, integrum est homini, *sponte sua*, (virtute facultatis determinandi se ipsum¹⁸⁸), felicitatem, quam lex promittat¹⁸⁹, ceteris commodis, quæ ab sensibus offeruntur, anteponere. Quamquam enim hoc modo legem sequitur ita, ut ipsius etiam desiderii felicitatis rationem habeat, *penes ipsam tamen voluntatem est* vel fiducia vel diffidentia felicitatis, ab obsequio legis expectandæ. Cum per ipsam naturam fieri nequeat, ut desiderium felicitatis abjiciamus, quumque nec sensum auctoritatis legis omnino exuere possimus¹⁹⁰; voluntas *ad arbitrium* suum vel *conciliat* utrumque sensum inter se, vel præter necessitatem¹⁹¹ legis auctoritati, ut plurimum certe, *opponit* desiderium felicitatis, itaque vel, ingenua¹⁹² fiducia felicitatis ex obsequio legis nexæ aut, si malis, religione ducta, legem veneratur ac præponit, vel, diffidentia felicitatis ex obsequio legis nexæ, aut, si malis, contemptu vel absentia religionis ducta¹⁹³, *concupita sensuum*, quamvis sanctitatem legis interdum¹⁹⁴ sentiat, antefert. Neque enim relinquitur tertium, ut se desiderio felicitatis, quod physice necessarium est¹⁹⁵, utique abdicet, & legis reverentiam, cujus constantia per naturam libera,

188) v. not. 139. 189) v. not. 172. 190) v. not. 167.


191) v. Crit. cit. p. 166.

192) Crit. der Urtheilskr. p. 456—458. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 159.

193) „als ungläubig.“ Crit. der Urtheilskr. p. 458.

194) v. supra not. 185.

195) v. not. 187.



bera, non necessaria est, constanter opponat. Ceterum hoc ipso & *reverentia legis* & animi humani excellentia, quæ superet ¹⁹⁶⁾ (transcendat) naturam sensibus subjectam, cernitur, si quis, naturali felicitatis desiderio satisfactorius, malit felicitatem, non cadentem sub sensum, illiusque moralem distributorem, non minus invisibilem (2Cor. IV. 18. Rom. VIII. 24. f. Col. III. 3. Ebr. X. 34. XI. 1. 27), sumere (v. 6), quam, lege posthabita, voluptatem, quæ in promptu & ante oculos posita est, percipere. Ipsa igitur fiducia felicitatis, *ab legis obsequio sperandæ*, cum reverentia legis cohæret & ab ea proficiscitur. Verum in legis reverentia, quam lex ipsa efficit, quamque, *si nihil obstaret* ¹⁹⁷⁾, in homine constanter effectura esset, homo, *physice ac necessario affectus desiderio felicitatis*, constare & legi fideliter parere nequit, nisi reverentiam legis ad naturale desiderium convenire speret, quumque desiderium, cui respondet hæc spes, per se ipsum profecto non sit in vitio ¹⁹⁸⁾, nec spei ipsius indigentiam in vitio ponere, aut hominem, quod sine ejusmodi spe, hoc est ¹⁹⁹⁾, absque religione non possit ²⁰⁰⁾ reverentia & obsequio legis duci, sive quod a felicitatis desiderio, cujus necessitate per ipsam naturam adstrictus est, abstrahere animum ²⁰¹⁾ nequeat, accusare ²⁰²⁾ licet de animi qua-

196) v. not. 156.

197) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 29.

198) l. l. p. 30. 27. 63. Crit. der pract. Vern. p. 129.

199) Crit. der pract. Vern. p. 234. f.

200) Id ipse *Kantius* videtur consentire (Crit. der reinen Vern. p. 840f.), quamvis sæpe alias repugnet (Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 267. f. cf. præsertim sequentes notæ 201. 202).

201) v. libri proxime laudati Præf. p. XI. Crit. der Urtheils-Kraft p. 455. f.

202) l. c. p. 421. f. Præf. laud. p. III—V. XI. f.

quadam improbitate ²⁰³⁾. Moralis igitur legis reverentia hujusque reverentiæ efficiens lex, tametsi non debet numerari (subjectiva ²⁰⁴⁾) virtutis & obsequii in legem causa *unica* ²⁰⁵⁾, *seorsum* ²⁰⁶⁾ ab omni respectu ad felicitatem, obsequio legis annexam, eatenus tamen pro *una omnino* causa haberi potest, quoad ipsa fiducia felicitatis, e legis obsequio nexæ, seu religio *ab legis reverentia*, qua animum humanum, quamvis nondum emendatus virtutisque studiosus sit, interdum affici vidimus, tanquam ab initiis suis profiscitur ²⁰⁷⁾, neque virtutis studium directo ab expectatione felicitatis, obsequio legis conjunctæ, sed ab *ipsa legis reverentia* oritur & urgetur, quæ, etsi absque illa spe, seu religione non poterat vigere & tueri se contra suspicionem ²⁰⁸⁾ vanitatis & dissensionis cum natura hominis, necessario felicitatis desiderio affecti, tamen, ubi fiducia felicitatis expectandæ sustentatur ac viget, *efficientem virtutis causam ipsa continet*. Quæ enim recta sunt, religione præditi eo volunt, non quod omnia unice ad commoda sua referant, nam si ad fructum suum omnia referrent, paratiorem sæpe & præsentiozem ex negligentia legis capere poterant; sed *quod hæc proprie legi consentanea & recta* (in se bona) esse vident, neque alia, quam *a lege præscripta*, conditione volunt uti felicitate. Nec denique inficiamur, ut quis-

que

203) cf. libr. modo cit. p. 20.

204) cf. supra not. 169.

205) v. not. 176.

206) v. not. 182.

207) v. supra p. 36. & cf. ill. *Kantii Præf. laudatam* p. VIII. *Crit. der reinen Vern.* p. 857. f.

208) v. supra not. 149.



que animo generosissimo (εκλεκτος Matth. XX. 16) est, ita minime eum vel in singulis actibus ²⁰⁹⁾ vel universim computare (XIX. 27. XX. 10-12. 21) ac velut pacisci (v. 2. 13) præmia ipsi debita, sed eam felicitatem expectare simpliciter, quam a justissimo pariter ac ²¹⁰⁾ benignissimo (v. 15) iudice par sit (v. 4. 7) dari. Verum enim vero illud vitium reprehendi potest (XIX. 30. XX. 1-16. 22. f.), etiamsi hæc expectatio, sine qua legis reverentia non potest altiores radices agere, quæque igitur constantis obsequii in legem, si non causa efficiens, at necessarium firmamentum est, alatur atque erigatur (XIX. 28. f.). Et veremur, ne difficilis illa & inhumana interdictio omnis ²¹¹⁾ respectus ad felicitatem nostram, quamvis sub conditione obsequii in leges morales expectatam, ne igitur affectatio illa sejunctæ &, si placet, intactæ ab omni felicitatis propriæ studio, virtutis, de cuius veritate, si ad exempla veniatur, nemini unquam constare potest ²¹²⁾, aliorum animum, ad colenda officia tam valde necessarium ²¹³⁾, deprimat, apud alios contra in Φιλανθιας, per quam homo valde sua causa vult, quamque ratio ipsa, dummodo legi morali non adversetur, haudquaquam prohibet aut improbat ²¹⁴⁾,

²⁰⁹⁾ cf. Præf. cit. p. XI.

²¹⁰⁾ cf. Comp. dogm. §. 73. a).

²¹¹⁾ v. ill. *Kantii Crit. der pract. Vern.* p. 128. 166. 233. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. Præf. p. III.

²¹²⁾ v. lib. cit. p. 20. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 26. 48. f.

²¹³⁾ Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 268.

²¹⁴⁾ Crit. der pract. Vern. p. 129. Rel. innerh. der Gr. der bloßen Vern. p. 47.

locum supponat arrogantiam, quæ nunquam non in vitio est. Quamquam enim nemini necesse est tantum sibi sumere, ut, nulla propriæ felicitatis ratione habita, virtuti studere sibi videatur; facile tamen id accidit ²¹⁵⁾, hæcque opinio, quæ plus sibi arrogat quam res & veritas patitur ²¹⁶⁾, tum vana est tum vitiosa ²¹⁷⁾. Nec multum interest, utrum aliquis *virtutem & recte facta* (Matth. XX. 12), per quæ dignus evaserit *præmio felicitatis*, an *præmia* (v. 10), quibus *per virtutem & recte facta* dignus sit, arroganter & cupide reputet.

§. XI.

Sed ut *habitus* reverentiæ legis sine religione (subjectiva, quam pariter ut *habitus* ²¹⁸⁾ spectavimus,) locum nullum habet (§. X): ita etiam est, ubi in iis ipsis, qui ducuntur reverentia legis, usus ejus, quem *adum* vocant, requirat certum usum seu *adum* religionis. Quod si enim gravioris alicujus incommodi metus *commodive* desideratissimi cupiditas animum ad violandam legem abstrahere nititur; magni profecto ad retinendum officium interest, explicatius nos cogitare aut recordari potius, quod legem moralem non ipsi tantum nobis imponamus, sed, officio deserto, alii, qui legem illam in animis nostris imprefferit ²¹⁹⁾, venerationem debitam nege-

215) l. c. p. 250. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 26.

216) v. supra not. 212.

217) cf. Crit. der pract. Vern. p. 153. f. 221.

218) cf. Crit. der Urtheilskr. p. 456.

219) v. cel. Fichte l. c. p. 70—77.



negemus, eaque via ²²⁰⁾ reverentiam legis adjuvari. Et ne illud quidem ab reverentia legis abhorrere ²²¹⁾ nobis videtur, si poenas vitiis & præmia virtutibus a Deo proposita & *post hanc vitam* expectanda ita reputemus, ut metum aut spem, ab officio revocantem, opposito metu ac spe, ad officium conservandum invitante, frangamus atque confutemus (Matth. X. 28. ²²²⁾ 32. f. Marc. VIII. 35-38. Luc. VI. 21-23. 2 Cor. V. 9-11. Ebr. X. 34. XI. 25. f.). Cum enim reverentia legis ne quidem sit indignum, *ad exequendum munus suum* ²²³⁾ in coërcendis cupiditatibus legi adversariis, cogitationem de *hujus vitæ* incommodis vel commodis, quæ violationem vel obsequium legis sequi possint, in auxilium adhibere (Luc. XIV. 7-11. Phil. IV. 8. extr. Rom. XIV. 18. f. 1 Tim. IV. 8. ²²⁴⁾); quanto minus illa erit alienum, *ad vincendas cupiditates legi inimicas* a metu

220) l. l. p. 64. fs. Qui doctrinam christianam, ejusve saltem hanc partem, quæ naturalem religionem, latius (cf. supra not. 175) dictam, repetit, pro *divinitus revelata* (cf. cel. *Fichte* p. 78. f. ill. *Kantium* Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 219. fs) habet, is reverentiam legis moralis etiam hactenus adjuvare potest, ut, disputatione contra sententiam legis a cupiditatibus orta (Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 23), verum sincerumque rationis pronunciatum confirmet *revelatae* legis cum ea, quam ratio præscribit, consensu, libidinum vero *servam* ratiocinationem & cupidam legis moralis interpretationem ejus, quod *scriptum est* (Luc. IV. 8. cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 144. f.), auctoritate coërceat.

221) cf. cel. *Fichte* p. 67.

222) v. Comm. in ep. ad Hebr. p. 323—325.

223) v. celeberr. *Kantii* Crit. der pract. Vern. p. 128.

224) l. l. p. 158. coll. p. 208.

tu & spe, quam religio affert, quæ igitur *ipsa a legis reverentia profecta est* (§. X), auxilium petere?

§. XII.

Quando igitur ad ipsam legis moralis reverentiam tam vehementer interest (§. X. XI), *religionem* a nobis suscipi & coli; *contra officium* est, negligi religionem. Quamquam enim nulla in Deum a nobis officia proficisci²²⁵⁾, nulla in eum nostra merita extare possunt; officium tamen est²²⁶⁾, curare ea, sine quibus officium servari, & permanens reverentia legis vel existere (§. X) vel iis certe viribus, quibus ad vehementiores cupiditates coercendas haud raro opus est, valere (§. XI) non possit. Atque hoc ipsum sibi velle videtur præceptum illud (Matth. XXII. 37) de amando Deo. Quod si quis interpretari velit²²⁷⁾ scriptum esse de legibus divinis libenter servandis vel potius de contentione, qua in iis libente animo tenendis elaborandum sit, nihil quidem repugnamus (1 Jo. V. 3). Verum in ea quæstione, quæ est de legibus divinis animo gaudenti ac libenti observandis, porro quæritur, *quo tandem modo* ad illam lubentiam niti aliquis possit. Jam natura hominis, ne dicamus, rei creatæ in universum, fert, ut aliarum rerum indigere ex iisque pendere non desinat. Ergo nunquam liberi sumus ab appetitione varia multiplici-

que

225) cf. supra not. 126. & Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 216. f.

226) cf. Crit. laudatam p. 166. f. Grundleg. zur Metaph. der Sitten p. 11. fs.

227) Crit. der pract. Vern. p. 147-150.



que, cui promiscue obsequi non liceat, sed quam legis auctoritate nutuque oporteat regere ²²⁸). Etsi vero citius est *laboris* & contentionis, quam voluptatis ²²⁹), non quod appetamus, sed quod oporteat, sequi, is tamen labor hoc magis levatur ²³⁰), quo firmiter animo conceptam quoque præsentiore ac vividior habemus fiduciam veræ felicitatis ab obsequio legis expectandæ, hoc est (§. X), quo magis confidimus, legem moralem ab auctore & domino naturæ datam esse, hanc sequentes eam voluntatem sequi, unde omnia, quibus ad veram felicitatem nostram opus habeamus, certissime pendeant, uno verbo, quo certius constantiusque in animis nostris verifatur *religio*, quæ stabilis permanens in reverentia legis eam ipsam ob causam efficiens est (§. X), quod reverentiam legis & propriæ felicitatis desiderium inter se conciliat, legemque, quæ venerationem per se ipsa habet ²³¹), amabilem quoque & jucundam reddit ²³²). Unde præceptum, de quo quaerimus, non universe jubet nos *elaborare*, ut *leges morales* libenter servemus, sed nominatim jubet nos eniti, ut *leges Dei* ²³³), sive ut *leges morales tanquam divinas* ²³⁴) libente animo teneamus. Nam in hoc ipso, quod habentur pro *divinis*,

228) l. c. p. 149.

229) l. c. p. 149. f. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 260.

230) Crit. der pract. Vern. p. 150. 231) v. supra not. 185.

232) v. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. Præf. p. XII. f.

233) Crit. der pract. Vern. p. 148.

234) l. l. p. 233. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 215.


vinis, lubentiae causa est. Re igitur vera jubemur elaborare²³⁵⁾, ut *de Deo*, qui ipse, *non lex*, Matth. XXII. 37. appellatur, eos sensus habeamus nobisque familiariores reddamus, per quos²³⁶⁾ lex moralis, quae²³⁷⁾ v. 40. seorsum commemoratur, nobis amabilior fieri queat. Alterum quoque praecipuum, quod v. 39. priori *simile* praedicatur, non tam praescribit ipsa erga ceteros homines officia, quam studium ejus *sensus*²³⁸⁾ de reliquis hominibus, quo amor aliorum continetur,

235) cf. Crit. cit. p. 148. fs. Neque abhorret à consuetudine loquendi usus consequentis illius: „*amato Deum*” pro hoc antecedenti: „*stude amare Deum*, stude iis sensibus (Gefinnungen, cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 217) de Deo, unde nascitur Dei amor.” Similiter 1 Tim. VI. 12. *επιλαβη της αιωνιας ζωης* idem valet, quod: „*stude*, ut consequaris aeternam salutem”, & Act. XIII. 43. Paulus & Barnabas monuisse dicuntur auditores *curare, ut maneat* (*επιμενειν*) in gratia cum Deo, (cf. Ebr. XIII. 17. not. s).

236) v. not. 232, & cl. Fichte p. 58. f.

237) v. Diff. I. in LL. N. T. hist. aliquot loca p. 19.

238) Si quisque *sentiatur* de altero, quemadmodum naturae humanae & religioni, quae v. 37. ut fundamentum (v. 38) obedientiae erga legem moralem proposita fuerat, consentaneum est (v. S. R. Reinhardi Syst. der christl. Mor. §. 151. T. I. p. 348. f. ed. 1), si per haec principia, quae ad omnes pertineant necesse est, si ad nos pertinere debeant nominatim, quaeque ut valeant in nos, maxime nostra ipsorum interest, eodem alios, quo *nos ipsos*, loco numeremus, hocque sensu ducti tum, cum alteri officia tribuenda sunt, ejus loco *nos* esse cogitemus; officia erga alterum tanto *facilius lubentiusque* exequemur. Qui enim officiis alteri praestandis repugnare solet amor in nos ipsos, idem legi morali eatenus certe conciliatur, quoad tum principiis, per quae nostra ipsorum refert legem servari, imbuti sumus, tum (cf. b. Reuffii Elem. theol. mor. c. VIII. §. XIII) alterius causam ut *nostram* spectamus. Dum igitur in ejusmodi sensibus alendis



tur, ex quo leges morales, quoad præscribunt officia erga alios, pendent (v. 40), si nimirum valere apud nos debeant, quo venitur horum officiorum diligentia ²³⁹). Quæ cum ita sint, tantum abest, ut Dominus ad officia ethico-civilia, quæ homo homini debet ²⁴⁰), aut, si malis, ad officia erga nos ipsos & alios ²⁴¹) omnia revocaverit, seu virtutem, a religione se-junctam, quæ sine Deo sibi ipsa videatur sufficere ²⁴²), in aliquo numero, vel etiam in principe loco habuerit, ut officium colendi religionem v. 37. *primum* inter omnia præcepta & *ma-*
ximum

collocamus studium, *studemus* (cf. not. 235), ut officio erga alios *libenter fungamur* (cf. ill. *Kantii Crit. der pract. Vern.* p. 148.). Ceterum, ut hoc obiter moneamus, loco nostro (Matth. XXII. 39) & simili, qui VII. 12. extat, jubemur eniti, ut habeamus & sustentemus sensum eum de aliis, per quem in ipso accessu ad agendum facile, *persona mutata*, in *alterius* (v. c. *indigi*, aut *judicis*) locum, quo ipsi nunc *non sumus*, cogitando nos substituamus (v. b. *Reuffium* l. I. §. XIV). Ergo vox, homini aliena ope nunc non egenti, aut reo ab ill. *Kantio* (*Grundl. zur Metaph. der Sitten* p. 68) attributa, ad eam certe, de qua sermo est, regulam directa non est, illiusque insultas de hujus legis dignitate nec derogare potest.

239) Quoniam Jesus Matth. XXII. 37—39. jubet (not. 235. 238) studium & operam ponere in fovendis sensibus, unde pendeat legis moralis obsequium (v. 40), neque igitur id agit Dominus, ut *legem moralem ipsam*, sed ut *ascetica præcepta* tradat; mirum videri non debet, de officiis *erga nos ipsos*, quæ cum aliis multis (Marc. XII. 28. 29. 31. extr.) præceptis, officiorum erga alios varia genera nominatim præscribentibus, e sacris literis (*τω τω μω και τοις προφηταις* Matth. XXII. 40) petenda erant, nullam mentionem expressam fuisse factam.

240) v. *Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern.* p. 216.

241) l. c. p. 138.

242) l. c. p. 267. f.

ximum ²⁴³) numeraverit (v. 38. Marc. XII. 29), cujus diligentia nitatur (Matth. XXII. 40) obtemperatio reliquis omnibus legibus.

§. XIII.

Religionem colimus, quum recta sensa de Deo iisque, quæ expectanda sunt a Deo, familiariora nobis, firmiora atque

243) Si quis etiam *comminisci* velit (v. cl. *Fichte* p. 68) mentes creatas, quas præscripta ab ipsarum ratione lex moralis tanta reverentia afficiat, ut ad coërcendas appetitiones legi contrarias (l. c. p. 67. cf. supra not. 228) nulla religione opus habeant; eadem certe per ipsam rationis suæ excellentiam non possunt ita tardæ videri, ut ne cogitent quidem, quem ad finem (cf. not. 147) appetitiones naturales auctoritate legis coërceantur, ut igitur Deum boni moralis remuneratorem esse, non postulent (cf. cl. *Fichte* p. 68). Et quæ quæso dignitas (cf. *Es. I. 3*) foret in ignorantia Dei, a quo tamen re ipsa pendet, quicquid creatum est? Si quis vero credit, esse Deum; qui sanctimoniam re vera studiosus esse & sanctitatem ipsam (v. ill. *Kantii Crit. der pr. Vern. p. 57. l. 282*) non venerari aut a sensibus de Deo (v. *Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 217. cel. Fichte l. c. p. 58*), ipsius perfectione dignis, refugere possit? Quomodo igitur expers esse religionis atque a ratione (l. c. p. 66) *officio non discedere* queat? Qui possit fieri, ut leges quidem morales reverentur, sed veneratio ejus frigeat, cujus demum virtute ac efficientia nobis conscii sumus (v. *cel. Fichte p. 76*) legum moralium? Ergo præceptum de amando Deo ne sic quidem desineret esse *gravissimum*. Etiam si enim religione nihil opus esset ad reverentiam legis sustentandam, ea tamen ab ipsa reverentia legis ita necessario profisceretur, ut cum hac reverentia necessario cohærentis religionis absentia, de ipsa, quæ sumitur, reverentiæ legis magnitudine non posset non detrahere. Ceterum ipse etiam cl. *Fichte* concedit (l. c. p. 68), *nullo modo probari posse*, quod vel ullus homo reperiatur, qui ad reverentiam legis moralis tuendam & virtutem colendam penitus non indigeat religionis. Quisquis igitur tantum sibi sumserit, eaque de causa religionem abjecerit vel parvi duxerit, *arrogantiæ reus* est, per eamque in summum discrimen adducitur (cf. celeberr. *Kantii Crit. der pract. Vern. p. 58. & supra not. 217*).



que ad usum paratiora reddimus. Si quis rerum divinarum notitias habeat teneatque argumenta, quibus confirmari queant, iis vero, simulac de *propria ipsius* causa agatur, nolit ²⁴⁴⁾ confidere, nec utatur iis ad juvandam reverentiam legis huicque adversas cupiditates coercendas; ei profecto scientia & professio doctrinæ de religione nihil prodest ²⁴⁵⁾, verum is doctrinam de religione edidicit potius quam in animo defixit ²⁴⁶⁾, ei non est religio (subjectiva) & vera fides ²⁴⁷⁾. Si quis contra ea *legem*, sive ea, quæ nobis agenda sint (Rom. X. 5. Gal. III. 12), unice spectet, ea vero, quæ divinitus facta (cf. Rom. X. 6-9) & expectanda sint a Deo, sive, ut theologico verbo utamur, *evangelium* seponat ac nihil curet ²⁴⁸⁾, si minimo illo cognitionis, quod v. c. *possit* esse Deus ²⁴⁹⁾, iique, qui, quod suum est, agant, divino aliquo auxilio forte opus habeant ²⁵⁰⁾, contentus sit, imo ad ejusmodi cogitationem tanquam ad sanctuarium non patiatur se nisi raro & caute deduci ²⁵¹⁾; facile intelligitur, doctrinam *de religione homini*, in ea tam peregrino, nec tum, cum uti ea volet ad reverentiam legis juvandam (§. X. XI) & virtutem confirmandam ²⁵²⁾, in promptu fore vel animo certe non obversaturam esse sic, ut vim aliquam habeat. Quando igitur fiducia doctri-

244) v. supra not. 188. 192.

245) v. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 190. 108.

246) cf. l. c. p. 290. extr.

247) v. supra §. IX.

248) cf. *Kantium* l. c. p. 245. 247.

249) l. c. p. 216.

250) l. c. p. 251.

251) l. c. p. 279. f.

252) l. c. p. 267.

trinarum, quæ ad religionem pertinent, invito quidem homine existere non potest ²⁵³), & usu, dum ad res nostras doctrinæ revocantur atque inter agendum pro veris identidem fumuntur, potissimum confirmatur; sed ipsæ tamen doctrinæ, si usus veniat, eo facilius occurrunt animo hocque munitiores ²⁵⁴) sunt contra existentem a cupiditatibus dialecticam ²⁵⁵), quo rectius eas earumque argumenta habemus perpensa: crebra & diligens meditatio ²⁵⁶), etsi non sufficit, at profecto requiritur (Matth. XIII. 19. 23.

253) v. not. 244.

254) v. ill. *Kantium* l. l. p. 291.

255) Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 23.

256) Hoc genere tum *adoratio* Dei tum *precatio* continetur, sed ejusmodi meditatio conjuncta est cum *exercitatione* fiduciæ Dei. Cum enim natura ejus ferat, ut *convertamus nos ad ipsum Deum* (v. b. *Michaelis* Dogmatik ed. 2. p. 663-666); Deum serio invocantes *ex hac opinione*, „*Deum esse*,” agimus, ejusque fiduciam hoc actu comprobamus (cf. cl. *Fichte* p. 243). Quid enim absurdius existimari potest, quam *invocandum esse Deum, qui non sit*? Quapropter facile concedimus, eos, qui satis habent (v. not. 249), Deum esse *posse*, si, in precatioe deprehensi, cogitationem suscipiant, fortassis *non esse Deum*, confundi & absurdos sibi videri (v. celeberr. *Kantii* Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 285). Cum vero, ipso etiam *Kantio* fatente (l. c. p. 274. 277. cf. supra not. 132), Deum esse omniscium, *confidere* aliquis ita (cf. Crit. der reinen Vern. p. 852. f. cl. *Fichte* p. 244. f.) possit, ut, si modo (cf. *Kantium* l. l. p. 853) controversiam experientia dirimere posset, quovis pignore, *quod sit Deus*, haud profecto minus (cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 285) contendere auderet, quam *Kantius* pignore auderet certare, quod planetæ incolantur (Crit. cit. p. 853); fieri sane potest, ut *ex hac fiducia* agat (cf. *Fichte* p. 243) cum Deo, nec deprehensus in tali oratione (cf. *Raphælii* Annot. ex Polyb. & Arrian. ad Luc. IX. 18) erubescat, nisi forte, qui seorsum conclusus (Matth. VI. 6. cf. S. V. *Seilerum* l. l. p. 373) precari sibi videbatur, *inopinato* interventu alterius percussatur. Hæc quidem *adorationi* communia sunt cum *precibus*. Sed in
prece



19. 23. Rom. X. 14. 17. Col. III. 16). Atqui in meditatione,
qua,

prece & obsecratione etiam hactenus fiduciam Dei colimus, ut non univ[er]se, sed accomodate ad res nostras a Deo omnia pendere confidamus (Comp. dogm. §. 38. cf. supra not. 14), eventum vero ipsi committamus, quia *acquiescimus in sapientia et benignitate infinita* (Comp. cit. p. 135. cf. ill. *Kantium* Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 286 f.). Quæ Vir celeberrimus l. l. p. 287 f. de *fide*, quam vocant, *miraculosa* adiecit, ea hoc loco expendere nihil attinet (cf. Comp. cit. p. 135. f. Relat. Tub. 1793. p. 372. fs). Liceat potius aliquid addere de *sacrae cœnae* usu, qui, si legitimus fuerit, divini, a quo nec ratio abhorret (§. IV), *beneficii meditatio* est, pariter conjuncta cum *exercitatione* fiduciæ hujus beneficii. Ut enim cœna sacra ad memoriam beneficii, quod debemus morti Christi, recolendam spectat (Comp. dogm. §. 112. f.), ita hoc ipsum beneficium iis, qui sacra cœna recte vescuntur, cum *grata recordatione* in mente versatur. Nisi enim *confiderent*, hoc beneficio revera nos affectos esse a Christo, nec *intelligenter* possent, cœna sacra celebranda, profiteri hanc fiduciam (Comp. cit. §. 113. d). Hactenus igitur sacrae cœnae pia celebratio *asceticum* usum habet, etiamsi discesserimus (cf. ill. *Kantium* l. c. p. 293) a salutari efficientia divina (Comp. cit. §. 114. m), quam ratio per se sola asseverare quidem non potest (v. supra §. VI), sed quam negare non magis licet (cf. not. 15), nisi quis forte habeat, quod in historicis, quibus nitimur, argumentis (§. VII) desideret. Ceterum ipse *Kantius* (l. c. p. 292. f.) monet, quanta sacramentorum vis sit ad magnam illud (l. c. p. 220. fs. cf. supra not. 130) ecclesiæ institutum juvandum atque conservandum (cf. Comp. cit. §. 108). Quapropter nova illa præcepta Domini (l. c. p. 344), quamvis non sint a *ratione ipsa sibi* imposta, minime tamen jugi loco habenda sunt, *ex quo nullam utilitatem perspicere liceat* (cf. ill. *Kantium* l. l. p. 260). Quamquam non videmus, quemadmodum ratio, quæ *ipsius, quam sibi imponit*, legis moralis latorem Deum esse sumit (l. c. p. 170. 228. cf. supra not. 243), *ejusdem legislatoris* alia mandata, dummodo constent esse mandata divina, pro duriori jugo habere (l. c. p. 259. f. cf. Crit. der pract. Vern. p. 151), aut a summa illa, quam sine infania negare Deo non potest (v. cl. *Fichte* p. 66. ipsumque *Kantium* Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 217), veneratione impetrare queat, ut præcepta Dei, quamvis non omnibus (cf. l. c. p. 259),

qua, si usus fuerit, paratam atque expeditam habere debemus doctrinam de religione, tanto lubentius, frequentius atque felicius versabimur, quanto minus in angustum conclusa fuerit materia meditationis, hoc est, quanto major fuerit rerum & argumentorum varietas ac copia. Et argumenta praesertim, quaecunque demum reperire licet, in hac causa nihilo aestimanda & negligenda non sunt, cum *υποθεσις*²⁵⁷), qualem sumimus (§. X) ad auctoritatem legis moralis & naturale desiderium felicitatis inter se concilianda, eo certe *probabilior nobis* fieri soleat²⁵⁸), quo plura ex ejus sumtione explicari & quo facilius ex ea intelligi possunt.

§. XIV.

p. 259), ipsi certe patefacta (cf. supra §. VIII), simulac ipsi constet, divinitus haec praeccepta esse, *sibi ipsa imponere* dubitet, Deique vel mandantis vel docentis auctoritatem defugiat, nisi vero subest *logolatria* quaedam (cf. supra not. 131). Licebit enim hoc verbum formare ad similitudinem vocis *misologiae* (Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 6), ut exprimamus illud genus idololatriae, quo ratio humana (*λογος*, cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 67) pro experte limitum, quae revera non est, sive (l. c. p. 270) pro *idolo* colitur.

257) Cum rationis practicae postulatum theoretice vix (cf. Crit. der reinen Vern. p. 855) in *υποθεσις* loco numerari queat (v. Crit. der Urtheilskr. p. 454. & supra not. 6); vel apud eos, qui legis moralis reverentia & postulati rationis practicae fiducia (cf. not. 256) ducuntur, crebrae fluctuationi locus est (Crit. der pract. Vern. p. 263. Crit. der Urtheilskr. p. 458), quae, praesertim ubi dialectica a cupiditatibus orta est (cf. supra not. 255), postulati practici fiduciae & coherenti (§. X) reverentiae erga legem moralem grave periculum iniicere possit, nisi fiducia postulati practici (l. l. p. 459) adjuvetur impedimenti, quod ratio theoretica infert (l. c. p. 458), diminutione. Impedimentum vero ita maxime minuitur, ut *υποθεσις* ipsa augetur verisimilitudine.

258) v. cl. Kiesewetteri Grundriss einer allgem. Logik nach Kantischea Grundsätzen §. 215. p. 266.



§. XIV.

Ut igitur morale argumentum, cur sit Deus, physico-teleologico confirmatur ²⁵⁹⁾, & fides moralis contemplatione naturæ inflammari & exardescere potest ²⁶⁰⁾: sic historica pars doctrinæ christianæ, si recte ea utaris, plurimum valet ad fidem moralem confirmandam, alendam & inflammandam ²⁶¹⁾. Nam *historia* Jesu Christi, unde sumimus initium dicendi, tum *miraculis*, quæ narrat, dummodo vere narret, *Deum esse confirmat* ²⁶²⁾, tum universe moralem expectationem nostram grandi *exemplo* illustrat & *re posita in factis* confirmat ac subjicit sub aspectum ²⁶³⁾. Neque enim Jesus tantum-

259) v. celeberr. *Kantii* Crit. der Urtheilskr. p. 468. 429.

260) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 289. cf. infra not. 263.

261) l. c. p. 265. Ueber die Kantische Philos. mit Hinsicht auf gewisse Bedürfnisse unsers Zeitalters. Auch Briefe an Emma. p. 119. f.

262) Quod sumit argumentum ethicum, ne felicitatis naturale desiderium contra impressæ in animo nostro legis moralis auctoritatem repugnet, neve, parendo, ut oportet, legi morali, nobiscum ipsi pugnemus; id ipsam unice aptum est certis rebus, quæ extra nos positæ sunt, ad nostram rationem accommodate (v. *Kantii* Crit. der Urtheilskr. p. 329. fs. 454) explicandis. Ut enim naturæ ordinem et consensum ad certos fines intelligere non possumus, nisi ad eum explicandum adhibeamus causam mundi intelligentem, quam esse ethico argumento docemus (cf. cl. *Fichte* p. 74 - 77): ita miracula, quæ in *historia* Jesu narrantur, cum nostra ratione convenienter explicari nequeunt, nisi, quod aliis de causis jam sumimus, etiam huic causæ adhibeamus, id quod luculenter ostendit S. V. *Flattius* noster (Beytr. zur christl. Dogm. u. Moral und zur Gesch. derselben p. 31. fs). Uno verbo, moralis fides cum doctrinalis (cf. ill. *Kantii* Crit. der reinen Vern. pag. 854. f.) tum historicae (cf. cl. *Kiesewetterum* l. l. §. 217. p. 268) consensu concentuque adjuvatur.

263) Quemadmodum physico-teleologica meditatio singularem vim ad animum movendum idcirco (v. ill. *Kantii* Rel. innerh. der Gr. der

tummodo exemplum est virtutis, ideam, in animo nostro impressam, quoad ejus fieri poterat, exprimens ²⁶⁴), sed in eadem historia Jesu proponitur quoque ²⁶⁵) exemplum felicitatis ²⁶⁶), quam, ut principio omnia secus evenire videantur ²⁶⁷), Deus tamen ex obedientia ²⁶⁸) necstat. Quamquam enim conditio Jesu Christi melior, sive resurrectio ejus atque discessus in aliam regionem ²⁶⁹) non est in *publica* parte historię ejus ²⁷⁰); publici tamen, quos habuit ²⁷¹), testes fidem sibi confirmant

der bl. Vern. p. 149. cf. p. 281) habet (cf. supra not. 260), quod moralis sensus (Crit. der Urtheilskr. p. 411. f. 472) ipsis etiam *externis sensibus* adjuvatur: ita in *historia*, moralem sensum adjuvante, propterea vis quaedam insignis est (cf. Rel. innerh. der Gr. der Vern. p. 263), quod rem *experientiae obviam*, & sub sensus, non quidem nostros, at testium certe subjectam (cf. Crit. der Urtheilskr. p. 453), ante oculos proponit.

264) „Das Ideal der Menschheit in ihrer *moralischen Vollkommenheit*.“ Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 67, fs. cf. Comp. dogm. p. 243.

265) l. c. p. 197. f. 239. f.

266) „Das Ideal der mit der Sittlichkeit verknüpften *Glückseligkeit*.“

267) l. c. p. 243.

268) l. c. §. 87. 92. c).

269) Posita *corporis* resurrectione (cf. supra §. II.), mirum (cf. ill. *Kantium* l. c. p. 182) tanto minus videbitur, Jesum versari in *certa universi regione* (l. c. p. 183). Et in *aliis* quoque mundi corporibus item, ut in terra, *habitari*, ipse celeberr. *Kantius* fidenter sumit, v. supra not. 256.

270) l. c. p. 182.

271) Id non modo valet in resurrectionis Christi historia (v. Comp. dogm. p. 38. f. 238), sed ipse etiam adventus ejus in meliorem sedem atque regionem, quem acies mortalium oculorum assequi



runt miraculis publice patratis ²⁷²), ut omittamus de consensu hujus nuncii cum publica prædictione Jesu (Matth. XXVII. 62-64. Jo. VI. 62. V. 22-29. XI. 25. f. ²⁷³), publicis (Act. II. 22) miraculis in antecessum firmata (Jo. VI. 14. 26. f. V. 8-36. XI. 41-47), & de publico exitu (Matth. XXVIII. 4. 11-15. ²⁷⁴) machinarum adhibitarum ad prædictum Jesu vanitatis arguendum (XXVII. 62. fs). Quod si historia Jesu vera est, & dictorum ejus fidem facit, etiam *doctrina* ejus vim historię habet. Nam de rebus, in quibus vulgo ²⁷⁵) homines nihil vident

non poterat, sub sensus, quoad ejus fieri poterat, subjectus fuit. Eodem enim illo itinere, quod ingredi magistrum discipuli viderant (Act. I. 9), ad meliorem conditionem, juxta cum resurrectione, cujus nuncii apostolorum sensus jam facti fuerant, discrete præsignificatam (Jo. VI. 62. XVI. 28), re vera Dominum contendisse, illico sensibus apostolorum interpretati sunt testes, ex eadem regione, qua Jesus receptus fuerat, advenæ (Act. I. 16. f.), Paulo post, quam temporis significationem promissis superioribus (v. 4) in ipso discessu adjuñxerat Christus (v. 5), promisso, ex ipsius reditu ad patrem discrete suspensio (Jo. XVI. 7. XIV. 12), non occulte, sed palam (Act. II. 6) fuit satisfactum, & publicum illud documentum reditus Christi ad patrem (v. 33-36) per longam annorum seriem ante oculos humanos versatum est, apostolis nuncium de Christo proluxa miraculorum continuatione firmantibus. cf. cit. Comp. §. 83. d).

²⁷²) l. c. p. 39.

²⁷³) Quod locis laudatis (Jo. V. 22. 27-29. XI. 25) de se prædicavit Jesus, id profecto sumit *excelsam*, qua usus sit, *conditionem*. Et altero loco extantia verba (v. 23. 25. 26) Dominus publice non fecit quidem, at *laudavit* certe (v. 40. coll. v. 19. 31. 42. 45. f.).

²⁷⁴) l. c. p. 39. f.

²⁷⁵) Doctrina apostolorum ex ipsis Jesu dictis partim doctrinæ Christi repetitio (Matth. XXVIII. 20) fide digna (Jo. XIV. 26), partim vero a divino Spiritu profecta fuit (XVI. 12. f. cf. I Cor. II. 10),
scien-

dent aut, necessitate practica jubente, *hypothesein* tantum sumere possunt (§. I), Jesus contra in dictis suis (Matth. XI. 27. Jo. III. 11-13. ²⁷⁶) hoc sibi sumsit, ut pro singulari sua conjunctione cum Deo ex eaque pendente proprio quodam suo, non communi aliorum hominum, sensu ²⁷⁷) *sciat & pro testimonio* dixerit, quæ de rebus divinis præceperit. Si quid igitur impertivit nobis rerum & consiliorum divinorum, non ideam meram aut opinionem, sed *rem in factis positam* tenemus, neque porro *sumimus tantum* ²⁷⁸), sed auctoritate Christi *scimus* ²⁷⁹), esse v. c. Deum, rebus humanis providentem, respicientibus propitium (cf. §. IV) & sanctimoniam studiosis auxilium ferentem, destinatum nobis esse vitam aliam post hanc brevem, qua meliores homines inter se ad communitatem societate-


scientissimo sane rerum divinarum (v. 10. f.). Unde apostoli quoque per Spiritum divinum, cujus efficientia ad ipsos proprie, non æque ad ceteros homines (τοῦ κοινου, cf. Comm. in ep. ad Hebr. p. 542) pertinuit, *scire* poterant (v. 12), quæ reliqui homines nequibant scire (v. 8. f.), sed quæ ipsis fuerant divino munere singulari donata (v. 12), quæve patefacta habere (v. 10. cf. supra not. 16. 98), ipsis peculiare fuit ac sejunctum a communi experientia, v. Comp. dogm. §. 9. f. 11. e).

²⁷⁶) cf. Joh. III. 31. f. & I. c. §. 6. b) §. 15. b).

²⁷⁷) „Anschauung.” Nam hoc ipsum verbum, de rebus, quæ sub humanum sensum cadere solent, & sciri a nobis possunt, usitatum (cf. ill. Kantii Crit. der Urth. Kr. p. 450. f.), ut in rebus, nostræ experientiam penitus non obviis, necesse erat facere (I. I. p. 430. f.), *transfertur* (Jo. VI. 46. III. 11. 32. I. 18) ad rem nobis plane incognitam.

²⁷⁸) cf. Rel. innerh, der Gr. der bl. Vern. p. 216. 204. 246. 251. 279.

²⁷⁹) cf. Crit. der Urtheilskr. p. 449. 451. 453.



cietatemque virtutis & respondentis felicitatis jungantur²⁸⁰⁾,
 Uno verbo, nos christiani virum illum invenimus, quem
 princeps philosophorum quærit.²⁸¹⁾

§. XV.

Jam si quis objiciat²⁸²⁾, ancipitem incertamque esse hi-
 storiam fidem, qua omnis illa (§. XIV) christianorum de re-
 bus divinis scientia nitatur, ea querimonia vel spectat *univer-*
se ad fidem abrogandam omni testimonio, vel (§. XVI. fs) ad
 eas proprie narrationes pertinet, quibus fidem tribuere chri-
 stianorum est. Ut a priori illo ordiamur, omni narrationi hoc
 commune esse fatemur, ut necessariam & apodicticam demonstra-
 tionem non pariat, sed ut eorum, quæ narrationem examinantes
 sequimur, contrarium absolute²⁸³⁾, aut, si malis cum *Dittono*²⁸⁴⁾
 loqui, physice sit possibile. Ex quo, ut hoc obiter moneamus,
 facile intelligitur, historicam fidem esse posse²⁸⁵⁾ *ingenuam*²⁸⁶⁾,
 at-

280) cf. supra not. 130.

281) Crit. der reinen Vern. p. 856. f. „zwar wird freilich sich nie-
 mand rühmen können: er *wisse*, daß ein Gott und daß ein
 künftig Leben sey; denn, *wenn er das weiß, so ist er gerade der*
Mann, den ich laengst gesucht habe.“

282) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 273. fs.

283) l. c. p. 273. f.

284) La religion chrétienne démontrée par la resurr. de notre Seigneur
 Jesus Christ. P. II. c. VI. (VII.) Propos. XI - XIII. (T. I. p. 191. fs.
 ed. Amst. 1728.)

285) v. ill. *Kantii* Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 235. 265.

286) cf. l. l. p. 159.

atque in voluntate ²⁸⁷⁾ hominis, quam sua sponte ²⁸⁸⁾ erga legem moralem, & cum reverentiæ legis perseverantia coherentem (§. X-XII), religionem habet, positum esse, utrum in historicis argumentis, quibus religio adjuvatur & confirmatur (§. XIV), acquiescere velit, an eorum vim defendere ac prohibere malit pertinacia adhærescendi ad physicam contrarii possibilitatem. Verum enim vero hæc possibilitas minime obstat, ne de rebus, idoneo testimonio comprobatis, (subjective ²⁸⁹⁾ nobis certum esse possit, nec propterea, si rem historicam pro (moraliter, ut ajunt, *non apodictice*) certa habeamus, illico verendum est, ne periculo *υποκρισεως* nos committamus ²⁹⁰⁾, nisi forte volumus negare, fidem rationalem, quæ nec ipsa nititur in apodictica demonstratione ²⁹¹⁾, certam (subjective ²⁹²⁾ & firmam ²⁹³⁾ esse posse, aut *υποκρισεως* continuo insimulandi sunt, qui, Deum esse & huic vitæ nos superstites vivere, confirmant, idque ipsum (non ²⁹⁴⁾ theoretice, sed moraliter ²⁹⁵⁾ certum se habere profitentur.

Cum

287) v. *Dittonum* l. l. Prop. VII. & c. III. p. 181. fs. 140. fs.

288) v. supra not. 244.

289) cf. *Kantium* l. l. p. 274. X. 190. 246.

290) l. c. p. 245. f. 273—277.

291) v. l. c. p. 216. Crit. der Urtheilskr. p. 454. 458. cl. *Kiesewetterum* l. l. §. 208. f. p. 259. fs.

292) v. ill. *Kantii* Crit. der reinen Vern. p. 857.

293) v. locos supra (not. 256) laudatos.

294) cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 216.

295) v. not. 292.



Cum ²⁹⁶⁾ nemo velle possit hanc legem valere, ut nulli auctoritati fides habeatur, dum scientiæ testium de re aut bonæ fidei contrarium *absolute* est possibile; contra officium est, ita agere, ut hac sola de causa locupleti testi fidem infirmes. Quumque nemo facile tam absurdus sit, ut eandem rationem, qua non obstante aliorum testimonio auctoritatem & fidem quotidie adjungit ²⁹⁷⁾, labefactando testimonio, quamvis gravissimo, sufficere ex animo statuatur; *υποκρισιως* crimen ii potius non injuria subeunt, qui in certa duntaxat causa, ut doctrinæ christianæ historica parte, locupletis testimonii gravitatem, quam ipsi in quotidiano usu agnoscunt & sequuntur, incipiunt spernere & sola contrarii possibilitate prætexenda eludere. Si quidem concedi oportet diffidentiae testimoniorum ²⁹⁸⁾, hoc tantum tribui potest, ut, quoties tua nihil refert historicam causam cognoscere, omnem rem in medio relinquant & ²⁹⁹⁾ v. c. Alexandrum M. fuisse, *neque neges neque aias*. Quod si vero tua *interest* cognoscere ac statuere de causa, reque cognita, præter contrarii possibilitatem nihil habeas, quod testimonio gravi opponas, non jam

296) Utimur eodem, quod Vir celeberrimus ponit (Grundl. zur Metaph. der Sitten. p. 17. ss. 52. ss.), unde nominatim veritatis in dicendo testimonio retinendæ officium ducit (Crit. der pr. Vern. p. 75), morali principio. Id ipsum ab laudato *Dittono* (l. c. c. VI. (VII). Prop. XIII. p. 202) item propositum et contra Pyrrhonismum historicum, qui l. l. c. VI—VIII. (VII—IX) p. 164 ss. egregie refutatur, usurpatum fuit.

297) l. c. c. VIII. (IX). Sect. III. p. 235.

298) „Dem Ungläubischen.“ v. *Kantii Crit. der Urtheilskr.* p. 458.

299) cf. cl. *Fichte* p. 242, ss.

jam licet ³⁰⁰⁾ suspendere iudicium totamve rem in medio relin-
 quere, sed verecundia affirmandi simulata & cupiditatis *ne-*
gandi argumentum est, cum meræ illius possibilitatis nullam
 alias in eo, quod tua interesse putas, talem rationem habe-
 re soleas. Si præterea *officium* fuerit cognoscere causam; nec
 prætermitti fas est investigationem, quæ necessitatem *confir-*
mandi de re historica imponere possit. Atqui officium est
 (§. XII) colere religionem, ad eamque colendam adhibere
 tantum studii, quantum quisque possit. Quando enim offi-
 cium est ³⁰¹⁾ procedere ac progredi in virtute, quoad possu-
 mus, & progressus in virtute faciendi e progressibus in re-
 ligione colenda pendent ³⁰²⁾, christianæ autem doctrinæ pars
 historica mirum quid valet (§. XIV) ad religionem confirman-
 dam & inflammandam; ii (§. VIII) profecto, quibus innotescit
 christiana doctrina, partem ejus historicam nec seponere
 ac negligere, nec, historicis argumentis spretis, in medio re-
 linquere & solam contrarii possibilitatem morositati præten-
 dere possunt, quin ab officio discedant. Et tanto quidem mi-
 nus laudem aut excusationis certe aliquid habet affectata illa
 verecundia iudicandi, quod ipsa etiam fides rationalis seu reli-
 gio hominis (subjectiva) & ³⁰³⁾ cohærens cum ea legis reve-
 rentia in justam suspicionem cadit, si usque eo frigeat, ut
 desiderabilem sane ³⁰⁴⁾ magnarum rerum, in quibus versatur
 fides

300) v. not. 296.

301) v. celeberr. *Kantii Crit. der pract. Vern.* p. 220. *fs.*

302) v. supra not. 257.

303) v. not. 243.

304) cf. not. 281.



fides moralis, scientiam (§. XIV), quum offertur, consequi nolis, sed, incognita re, fastidias, vel repudies non obstantibus historicis argumentis, contra quæ nihil alias valere apud te ipsum solet contrarii sola possibilitas.

§. XVI.

Ipsa vero *historicorum argumentorum* pondera, quam possumus, maxima diligentia examinari licere³⁰⁵⁾, imo oportere, quis est, qui neget? Quumque hoc, quicquid est, *ισορικοῦ* dividatur in partes quatuor, & *primum* quærat, *quid* igitur Jesus & apostoli in sacris literis *docuisse & gessisse legantur*, deinde num ea, quæ docuisse legantur, re vera *ab Jesu & apostolis* dicta fuerint, tum ea, quæ in N. T. libris traduntur evenisse, *vere* evenerint, nec ne, *postremo* an ea, quæ divinitus evenisse ac doceri perhibeantur, *re ipsa* divinitus facta & dicta fuerint; hæc omnia diligenter & sine partium studio investiganda sunt. Sed cupide profecto ac temere fit, si quis in ulla hujus indagationis parte *argumenti loco* admiscet aliquid ex iis quæstionibus (§. I--IV), de quibus ratio per se sola in neutram partem statuere potest. Neque enim *in medio relinquuntur* (§. VI) ea, e quorum *vanitate argumenta ducuntur*, quæ ad probandum *firma* esse debeant; sed conclusio, in qua ex rebus historicis id, quod ratio, limitum fuorum haud immemor, in medio relinquit, efficitur, *propterea solum*, quod ratio per se ipsa, hoc ita esse, argumentis docere nequeat, in dubium vocari non potest, quin sumatur,

305) cf. *Kantii* Rel. innerb. der Gr. der bl. Vern. p. 191.

verum esse non posse, quicquid ratio sibi relicta argumentis confirmare nequeat, quin igitur ejusmodi res contra, quam fas est (§. V), *negentur*. Cum ad fidem rationalem tuendam rationis theoreticæ arrogantiam coercere oporteat ³⁰⁶), tum christiano tribui non debet ignaviæ, quod rationem theoreticam, justo plus sibi assumentem, etiam tunc non audit, quum agitur de fide historica, moralis adjutrice (§. XIV).

§. XVII.

Itaque ordiamur ab *interpretatione*, quæ, si ad hanc regulam ³⁰⁷) dirigatur, ut nihil quicquam admittatur, nisi quod ratio per se ipsa intelligit ac probat, longe abest ab ea regula, quam nostrum *consilium* (§. XVI) præscribit. Neque enim ii, qui omnia metiuntur priore regula, curant, quid Jesus & apostoli in sacris literis docuisse & gessisse *legantur*, sed nihil aliud agunt, quam ut efferant, quæ ipsi velint dicta, five e loco tractato elicita five illata in eum & intrusa fuerint ³⁰⁸), ne multis, philosophica ejusmodi interpretatio ³⁰⁹), si quidem dicenda est ³¹⁰) interpretatio, ita non est *historica* seu ³¹¹) grammatica, quam nos unam requirimus, ut ingenui & fucum non facientes id genus interpretes etiam aperte profitean-

³⁰⁶) v. Crit. der Urtheilskr. p. 458. f.

³⁰⁷) Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 150—153. 189. 265.

³⁰⁸) l. c. p. 43. 150. 152.

³⁰⁹) l. c. p. 150. 153. 265. 105. f.

³¹⁰) v. ipsum celeberr. *Kantium* p. 43.

³¹¹) v. Diss. de sensu historico p. I.



teantur ³¹²), nullam se τὴ ἰσορροπία, aut sensus grammatici, qui unice verus sensus est, rationem habere. Deinde, quæ sumit hæc interpretandi via, grammaticum nempe sensum, cujus argumentum ratio sibi relicta invenire ac probare haud queat, admitti utique non posse aut morali saltem usui non esse ³¹³), eorum utrumque supra (§. XVI, XIV) confutavimus. Servata autem hac regula, quam nos habemus (§. XVI), ut sententiam, quam grammaticæ, id est, historicæ rationes docent sub certis verbis subjectam esse, non continuo dubiam nobis fieri patiamur, si ratio ipsa per se veritatem enunciati perspicere ac confirmare non possit, varietas quoque interpretum ac dissensio, quam objici videmus ³¹⁴), minuitur. Quamquam enim non miramur, in illa ³¹⁵) sacrarum literarum

³¹²) v. *Kantium* l. l. p. 151. f. Si qui contra, ac *Kantius* (v. not. 308), rationalisticam suam interpretationem grammaticæ opponunt, hacque *rejeçta*, illam pro ipsa sacrarum literarum sententia teneri volunt; ii certe Jesu & apostolorum exemplo (cf. l. c. p. 151) fucum atque fallacias suas (Unredlichkeit, l. c. p. 151. f.) defendere non possunt. Ut enim prætermittamus, creberrime id ipsum in quæstione versari, *grammatica* nonne sit ea interpretatio, quæ pro mera accommodatione habetur, Jesus certe & apostoli tum, cum locos scriptorum V. F. mutuati sunt atque ad suam sententiam accomodarunt (v. *Diff. cit.* §. XXIV), grammaticum sensum non repudiaverunt (cf. *Comm. in ep. ad Hebr.* p. 677. fs). Idem valet in locos N. T. qui *consilium* argumentantur (*Diff. cit.* §. XXVII. f. cf. *Proleg. in ep. ad Hebr.* p. LXIX), quorum veteris fœderis aliquod dictum spectet. Talis enim dicti grammaticus sensus propterea non negatur (cf. *Ebr.* VII. 1. 4), quod de consilio, quorum aliquid vel dictum vel hoc potissimum modo enunciatum fuerit, exponitur.

³¹³) v. *ill.* *Kantium* l. c. p. 189. 44. 150. 152.

³¹⁴) l. c. p. 264. 274. 158. 190. ³¹⁵) l. c. p. 154.

rum antiquitate & sermonis, quo utuntur, morumque, quos sumunt, a nostris distantia si complures loci reperiantur, qui difficiles explicatus habeant; eorum tamen maxima pars ad ipsam *doctrinam* christianam non directo pertinet, & si qui obscuriores ad eam spectent, apertiores alii superesse solent, de quorum sensu judicari liquido potest, neque etiam controversia facile oritura esset, nisi obvia interpretatio abhorreret a sensu interpretum, sive *alius*, atque traditur, de rebus, in quibus ratio nihil videt, cogitandi modus eorum animos præoccupaverit, sive ab his rebus universe abalienati sint fastidio. Velut nemo facile non videt, de sacrarum literarum sententia ³¹⁶⁾ Jesum & apostolos in docendo & rebus gerendis *extraordinario prorsus modo* & sejuncta ab ea, quæ vulgo hominibus, quantumvis licet excellant, ferri solet, ope divina fuisse adjutos, neque in mentem fuisset cuiquam venturum, alias interpretationes quærere & rem omnem interpretando sive, ut rectius dicamus, nova aliqua narratione confingenda & supponenda, vulgari rerum cursui accommodatiorem efficere, nisi apud hos homines præjudicata ³¹⁷⁾ opinio de necessaria rerum, quæ narrentur, insolentium & extraordinariarum vanitate tantum posset, ut historicam, sive grammaticam auctoritatem contemnerent, neque igitur vera desinerent *interpretari*, quid dictum fuerit, & philosophari potius decernerent, quemadmodum ex ipsorum sententia scribendum fuisset.

§. XVIII.

³¹⁶⁾ v. supra §. VII. XIV. & Comp. dogm. §. 6. 8. extr. §. 9. 10.

³¹⁷⁾ Quam parum firma sit hæc opinatio, supra (not. 16. 17) admonuimus.



§. XVIII.

Si scripta N. T. quæ apostolis tribui solent, *vere ab apostolis* profecta sunt, eademque ad nos *integra* pervenerunt; dubium profecto non est, quin doctrina auctorum, quæ legitur, eadem *apostolica* doctrina sit. Si porro librorum historicorum scriptores *ii re vera ipsi sunt, qui vulgo nominantur*, nec in dubium venire potest librorum *integritas*; etiam doctrinæ & rerum *Jesu Christi* commentarios habemus, ab ejusdem intimis discipulis horumque familiaribus scriptos, ubi ergo *doctrina Jesu Christi*, si uspiam, sincera invenitur.³¹⁸⁾ Sed librorum N. T. *ομολογμενων*, qui doctrinæ Jesu & apostolorum cognoscendæ & probandæ sufficiunt, cum *authenticum integritas* iis rationibus³¹⁹⁾ confirmatur, quibus quid præ-

318) v. Comp. dogm. p. 21. Dubitatio, an *Joannes* atque *Matthæus* magistri mentem satis perspexerint & assecuti fuerint, ad *summam* doctrinæ hoc certius non pertinet, quod auctores laudati Jesu tam multos sermones attribuunt, qui, cum abhorreant penitus ab æqualium præjudicatis opinionibus ipsorumque prisca consuetudine sentiendi, ne possunt quidem ab ipsorum ingenio profecti esse. Funditus autem tollitur suspicio, si promissa (Jo. XIV. 26, cf. l. c. p. 44. 57. f.) ope divina in repetenda magistri doctrina *vere* (cf. infra §. XX) gravisi fuerint. *Marci & Lucæ* narratio de doctrina Jesu fidem habet, quod cum ea doctrina, de qua ex *apostolica* Matthæi & Joannis narratione constat, *partim consentit* totidem fere verbis, *partim cohæret* aut certe non dissentit. Præterea vero, tametsi illud singulare auxilium divinum, quod *apostolis* promissum fuerat, non communicamus temere cum *Marco & Luca*, ipsorum tamen, quibus illud auxilium præsto fuit, *apostolorum*, ut *Petri & Joannis*, *approbatio* Marci & Lucæ narrationi fidem & auctoritatem tanto majorem conciliare potuit (v. Comp. cit. §. 12).

319) l. c. §. 1. 2. 4. *Interna*, quæ vocant, argumenta denuo expendit & confirmavit S. R. *Kleukerus* (Ansführliche Unterf. der Grün-

præter solam contrarii possibilitatem opponant, non habent³²⁰), qui traditarum in illis libris doctrinarum & eventorum infuetudine offenduntur, quia rationem suam admoneri nolunt de terminis, quibus circumscripta & finita est. Hanc vero offensionem non sine propria cujusque culpa accidere, illam excusationem minime accipiendam esse, supra (§. XVI. XV) vidimus.

§. XIX.

Posita autem atque concessa scriptorum N. T. *ομολογη-
μενων* avthentia & integritate, sequitur³²¹), ut a talibus aucto-
ritatibus hoc in tempore literis prodita & publico simul præ-
conio non sine magno effectu divulgata eventa, quantumvis
mira, pro *veris* habenda sint. Quod enim in ipso statim prin-
cipio rerum christianarum ex Romanis, in quorum oculis ge-
stæ fuerunt, nemo de his rebus mentionem habet³²²), eo
non valde movebitur, nisi qui, offensus in miraculis³²³), con-
tra eorum fidem³²⁴) & testimoniorum, quæ plurimum ad ea
probanda valere intelligit, auctoritatem cupidius (§. XVI) ni-
titur. Alias certe domesticos, hoc est, peritiores plerumque,
testes,

Gründe für die Aechtheit und Glaubwürdigk. der schriftl. Ur-
kunden des Christenthums T. I. Lips. 1793).

320) Unde, quæ his libris nititur (v. *Kantium* l. c. p. 184), historia
Jesu non potest (l. c. p. 224) solidis argumentis oppugnari,

321) Comp. cit. §. 5.

322) v. ill. *Kantium* l. c. p. 184. f. 239.

323) l. c. p. 232.

324) l. c. p. 264, lin. 1, 2,



testes, dummodo ne fuerint cupidi, quod in christianis secus est ³²⁵), præoptamus externis, horumque consensum non admodum desideramus ³²⁶). Ceterum, in ipsa urbe jam *Neronis tempore multitudinem christianorum fuisse ingentem*, Taciti auctoritate ³²⁷) confirmatur. Unde vero sit factum, ut exitiabilis, quæ Tacito videbatur, superstitionis, ubi auctor nominis ejus, Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, vix in præsens reprimeretur, moxque rursus erumperet non modo per Judæam, sed per urbem etiam, imo nec novissimis quidem poenarum, quarum Suetonius quoque mentionem facit ³²⁸), quæsitissimarum exemplis propositis, deleri posset, intelligi profecto nequit ³²⁹), si novæ, de qua Tacitus & Suetonius conqueruntur, superstitionis aut religionis potius materia & nutrimentum, si miracula, quæ publico præconio divulgabantur atque palam etiam nunc ³³⁰) fieri dicebantur, de vanitate argui & testimoniis con-

vin-

325) Comp. cit. p. 22. fs.

326) v. Le sens littéral de l'écriture sainte, defendu contre les principales objections des Anti-scripturaires, traduit de l'Anglois de Mr. Stackhouse. T. I. p. 10. fs.

327) L. XV. Annal. c. 44.

328) in Nerone c. 16.

329) v. not. 325.

330) h. e. tunc (Comp. cit. p. 39. 51. f. 55), cum Judæi dudum christianos afficere consuevissent pœnis & incommodorum variis generibus (l. c. p. 41. f.), imo tum quoque (cf. über den Zweck der evl. Gesch. und der Briefe Joh. p. 377. 406. fs. 11. f. 227. f.), cum Romæ christianorum tanta multitudo in Neronis sævitiam absumpta jam fuisset, ut ipsis etiam hujus religionis hostibus miserratio aduersus eos orta esset.

vinci poterant. Quamobrem contra scriptores Romani hæc eventa mirabilia non commemorarint, illud est, quod eorum partim externas religiones parum universe curarunt ³³¹), partim, quod, salva miraculorum veritate, poterat fieri ³³²), novam religionem similiter, ac *Tacitus & Suetonius*, ut maleficam superstitionem tractarunt, de cujus argumentis indignum sit mentionem inferri. Sed fingamus animo, Paulli miracula a Proconsule Cypri (Act. XIII. 7 - 12), a Publio Melitensi (XXVIII. 7--10), ab aliquo e Cæsaris domo (Phil. IV. 22), aut, si malis, a Dionysio Areopagita (Act. XVII. 34), vel Erasto ³³³) vel alio honoratiore quodam (cf. 1Cor. I. 26) memoriæ prodita fuisse. Annon extemplo hos omnes testes ut christianos aut amicos certe Paullo rejicient, qui v. c. *Lucam* contemnant, neque considerant, quo igitur modo factum fuerit, ut Paullus & Lucas & alii complurimi evaderent christiani, atque in hac sententia, non obstantibus *maximis difficultatibus & molestiis*, permanerent, etiamsi prompta & aperta fuisset eventorum illorum vanitas, quibus res christiana nitebatur & commendabatur? Quos tandem religionis christianæ adversarii testes dari & excitari volunt, si certus esse continuo definit,

331) v. ill. *Kantium* l. c. p. 184. f. et maxime *Lardnerum* in parte prioris operis: the credibility of the Gospel-History, quæ etiam inscribitur: the facts occasionally mention'd in the N. T. confirmed by passages of ancient Authors. L. I, c. VIII. (ed. 2, p. 225. fs).

332) v. *Comp. dogm.* p. 27.

333) v. *Krebsii* *Obff.* ad Rom. XVI, 23.



finit, cui miraculorum, de quibus quæritur, evidentia persuasit, uti christianus fieret? ³³⁴⁾

§. XX.

Si ea nominatim ipsa, quæ in sacras N. T. literas relata invenimus, mira, tanto igitur numero et tanta varietate, cum his momentis & περιστασι vere (§. XIX) evenerunt, nec fraudi nec casui locus ullus relinquitur ³³⁵⁾; quumque nostra ipsorum experientia, & historia ³³⁶⁾ loquatur, vulgo homines, etiamsi ingenio & viribus longe plurimum valeant, tales ac tantas res efficere non posse, perspicuum sane & ante oculos positum est, Jesu & apostolis contigisse aliquid *separatim a reliquis hominibus*, jamque, in iis *singularem & a communi expectatione sejunctam* (§. VII) facultatem fuisse, non propriis tantummodo illorum dictis ³³⁷⁾ credimus, quæ tamen ipsa propter horum virorum *mores* ³³⁸⁾ jure suo permagnum apud

334) cf. *Fosteri* Vertheidigung der christlichen Offenb. gegen die Einw. welche in einem Buche mit der Aufschrift: Beweis, daß das Christenth. so alt als die Welt sey, u. s. w. dagegen sind gemacht worden, p. 187. 8s. ed. Franc. & Lips. 1741.

335) Comp. dogm. §. 8. f). g).

336) Quam iniqua sit miraculorum Jesu & apostolicorum comparatio cum aliis, quæ passim jactata fuerunt, prodigiis, ostenderunt S. V. *Lessius* (über die Relig. T. II. p. 214. 8s. 767. 8s) & *Lüderwaldius* in libello: *Anti-Hierocles, oder Jesus Christus u. Apollonius von Thyana in ihrer großen Ungleichheit vorgestellt.* Hal. 1793.

337) v. supra not. 316.

338) v. Comp. dogm. §. 7. & laudatum *Dittonum* P. III. c. IV. Sect. VII—XIV. (T. II. p. 69. 8s).

apud nos pondus habent, sed accedunt (Jo. X. 38. XIV. 11³³⁹)
etiam congruentia³⁴⁰) facta, quibus perpetrandis nullum ar-
tificium suffecit, quæ multo etiam minus opinioni Jesu &
apo-

339) Si quis re vera hoc, quod quaeritur (§. VII. XIV), & quod Je-
sus confirmavit (v. not. 316), se nimirum Deo ante omnes alios
conjunctum esse (Jo. X. 38. XIV. 11), neque sui ingenii inventa
tradere, sed divinitus docere (VII. 15—17), Jesu ipsi, quia ta-
libus moribus fuerit, nulla tantisper miraculorum ejus ratione
habita, credit; ei ad hunc finem, ut Jesum pro singulari legato
Dei habeat, non necesse est miracula assamere, isque satisfacisset
monito Christi (Jo. IV. 48), si, quod secus esse confidimus
(Comp. dogm. §. 8. b), hoc ipsum Dominus dixisset, quod post
multos alios etiam ill. Kantio (l. c. p. 107) dixisse videtur.
Quisquis autem Jesu tanquam legato divino fidem & auctori-
tatem ex animo tribuit, is, tametsi miracula propter solam æqua-
lium Jesu imbecillitatem (l. c. p. 107. f. cf. supra not. 124) neces-
saria fuissent, Jesu tamen credet, miracula, quamvis isti ætati
apta, certe, ut ipse confirmavit (Comp. dogm. p. 34—36), non
præstigias, sed vera miracula, divinæque missionis ipsius certa
argumenta esse, quibus etiam dociles atque ad concedendam ma-
gistri auctoritatem faciliores discipuli ad firmandam fidem egre-
gie uti possint. Quod enim Christus seorsum ab aliis hominibus
sciat res divinas (§. VII. XIV), tanta sane res est, ut accessio,
quam miracula afferunt ad argumentum, e moribus Jesu elici-
tum, minime profecto, quod celeberr. Kantius (l. c. p. 183. f.
233. 153) agnovit, contemnenda sit. Sin autem Jesu eatenus
tantum tribuas fidem, quoad moralia præcepta & religionem na-
turalem repetiit; miraculorum quidem adjumento ad hanc fidem
solam non multum indigebis (l. c. p. 107. f.), at nec eam Jesu
fidem habes, quam postulavit (v. not. 316), imo verius nullam
prorsus fidem et auctoritatem dicta Jesu apud te habent, qui
complurima ejus dicta vocas in dubium, quæque probas, non
ipsius auctoritate adductus, sed per te ipse (v. not. 103) approbas.
Quid multa? commemoratio talis fidei, quæ Christo tribuatur,
si modo est hæc fides, a proposito longissime aberrat, neque
igitur in hac (§. VII) quæstione, si ingenue & candide agatur,
admiscenda est.

340) v. Comp. dogm. p. 128. f.



apostolorum de se ipsis, si vana & imaginaria fuisset, tam exquisite & constanter potuissent respondere. Nec de *consilio* ambigi potest, quo hæc miracula patrata fuerint, cum ab iis ipsis, per quos evenerunt, consilium diserte fuerit significatum³⁴¹⁾, omnisque mirabilium hujus ætatis effectuum, quamvis maxima, vis seu multitudo deprehendatur³⁴²⁾ adstricta fuisse hac lege³⁴³⁾, ut peculiarem illam (§. VII. XIV), quam Jesus sibi & apostolorum suorum doctrinæ tribuit, auctoritatem adjuvaret ac firmaret. Neque magis dubia est horum eventuum *efficiens causa*. Nam si quis etiam sumere velit, quod vehementer improbabile est³⁴⁴⁾, singularem illam & a communibus hominum viribus sejunctam facultatem, quam in Jesu & apostolis deprehendimus, inde a creatione repetendam esse, quæ ipsa statim hunc rerum ordinem instituerit, ut vel certarum, ad quas miracula pertinuerint, rerum natura his proprie singularibus mutationibus certo tempore subeundis accommodata esset ac præparata, miraculorum vero administri singularibus illis eventis præsentendis apti

341) l. c. p. 34. f. 51. f.

342) l. c. p. 130. fs.

343) Ergo non *universe tantum* sumimus, *miracula* in principio rerum christianarum edita, ut omnia, quæ divinitus fiant, *bono consilio* inservisse, sed, cui *nominatim* bono fuerint, & *quam proprie legem* constanter secuta fuerint, tenemus, idque satis est ad *usum* miraculorum, ne nimirum finem, quo referebantur, quod ad nos attinet, non assequantur, & auctoritas, quæ Jesu Christo & doctrinæ apostolorum debetur, apud nos non valeat, cf. ill. *Kantium* l. c. p. 111. 114.

344) Comp. dogm. §, 36. a), cf. etiam celeberr. *Kantium* p. 287.

apti essent, vel ipsa miraculorum patrandorum facultas certis hominibus, naturæ cursu ita ferente, insita esset; *Deus* certe per ipsam naturæ constitutionem, huic nominatim consilio, quod *Jesus* & apostoli sequebantur, tam constanter & exquisitè respondentem, illud ipsum, quo de quærimus, consilium adjuvit, & peculiarem, quam doctrinæ suæ tribuerunt, auctoritatem confirmavit³⁴⁵). Sin extraordinariæ illæ effectiones pendebant ab alia quadam mente³⁴⁶), quæ auxilium *Jesu* & apostolis tulit; vel *theisticæ* vel *agathodæmonicæ*³⁴⁷) fuerint necesse est³⁴⁸), cum nullo modo possint³⁴⁹) *cacodæmonicæ* haberi. Utrumcunque sumseris, id, quod volumus (§.VII. XIV), efficitur & cogitur³⁵⁰), *Deum* esse auctorem effectio- num, quæ *divinæ* illius, quam *Jesus* sibi, & quam ipse cum apostolis etiam apostolicæ doctrinæ tribuit³⁵¹), auctoritatis

con-

345) Comp. cit. p. 129. fs.

346) *Mentem* enim requirit *consilium*, ad quod constanter directæ fuerunt (v. not. 342).

347) Harum quidem exempla non desunt (Comp. cit. p. 125), sed rarior certe earum est commemoratio, idque mirum videri (cf. ill. *Kantium* p. 110. f.) non debet, cum ad extremum omnes in *theisticarum* numero ducendæ sint (v. not. 350), et in harum numerum, qui sane haud exiguus est, complures *agathodæmonicæ* adscriptæ esse possint. v. *Leibnitii* Tentam. Theodiv. §. 239. Diff. de conform. fidei cum ratione §. 3. (ed. *Steinhoferianæ* Francof. & Lips. 1739. p. 1010. fs. 450).

348) v. celeberr. *Kantium* p. 110.

349) Comp. dogm. p. 41. f.

350) l. c. p. 130. 42.

351) v. supra not. 316.



conciliatrices ³⁵²) aut certe ³⁵³) adjutrices sunt. Nihil denique est, quod, concessis *his* miraculis, quæ mentem hominis tantum abest, ut enervent aut affligant ³⁵⁴), ut novam potius & desideratissimam ³⁵⁵) viam dent ad rerum gravissimarum, sed experientiæ non obviarum, scientiam (§. XIV), extimescamus ³⁵⁶) contra in rerum experientiæ obviarum indagazione & tractatione aut negotiorum humanorum gestione magnam aliquam confusionem ipsiusve rationis perturbationem. Quamvis abhorreant licet extraordinaria illa eventa ab ordinaria rerum consecutione, quam vulgo cernimus & in rebus ac negotiis nostris sumere consuevimus atque adeo debemus ³⁵⁷); communi tamen experientiæ fidem non derogant eaque nixam regulam, qua res hominum & negotia judicare solemus, haudquaquam infirmant aut tollunt. Neque enim, positis atque approbatis certis quibusdam miraculis, ita fieri *solere*, ponimus, sed hoc tantum existimamus, *certo tempore ac loco* per certos homines, ut Jesum & apostolos, talia *evenisse*. Quo probato ³⁵⁸), consequens est profecto ³⁵⁹), *evenire posse*,

352) v. not. 342. 340.

353) v. not. 339.

354) v. *Kantium* l. c. p. 109. f. (in annot. subjecta) et pag. 111. 114.

355) v. supra not. 281.

356) v. celeberr. *Kantium* p. 109. f. 112—114.

357) v. laudatum *Dittonum* P. II. c. VI. (VII). Prop. II. fs. T. I. p. 164. fs. et *Butlerum* (Bestätigung der natürlichen und geoffenbarten Relig. aus ihrer Gleichförmigk. mit der Einrichtung und dem ordentl. Laufe der Natur. ed. 2. p. 22).

358) Comp. dogm. §. 5. 8. f). g), h).

359) l. c. p. 42. f.

posse, quæ metiri nequeamus ea regula, qua in rerum naturalium investigatione & in vita utendum est; sed, hoc constituto, non sequitur illico, ut insolitæ ejusmodi res fieri *soleant*. Jam regula, quam in vita sequimur, ab iis, quæ fieri *solent*, repetitur; *sola possibilitas* nec idonea est, ad quam dirigamus indagacionem naturæ, consilia nostra & actiones, nec derogat de regula, quam habemus. Neque enim hæc regula insolentis eventus *possibilitatem* tollit³⁶⁰⁾, quæ, etiamsi *nulla* posset *re in factō posita* confirmari³⁶¹⁾, tamen *negaretur temere*³⁶²⁾, sed possibilitatis tam diu *nullam rationem habet*³⁶³⁾, dum³⁶⁴⁾ in hac ipsa, de qua agitur, caussa id, quod in se *potest* tantum fieri, *experientia aut historia magistra*, discamus *in factō positum* esse. Utrum miracula certis tantum temporibus patrata fuerint, an nostra etiam ætate non nequeant evenire³⁶⁵⁾, & quam sæpe³⁶⁶⁾ ejusmodi quid fieri possit, nostra nihil refert, dum recens miraculum ostendi & *sub aspectum subjici* nequit, vel *idonea* certe in eam rem *testimonia* non sunt. Nullius enim miraculi in ullo negotio rationem duci convenit *usque eo, dum ad spectus aut historia aliud flagitet*. Ut primum vero aut experientia aut locuples auctoritas aliud postulat, mira-

360) v. *Dittonum* l. l. p. 164. f.

361) v. not. 359.

362) v. ill. *Kantium* l. c. p. 115. f. & supra p. 5. f.

363) v. *Kantium* l. l. p. 109. 112. f. 115. f.

364) v. *Butlerum* l. l. p. 22. fs.

365) v. celeb. *Kantium* l. l. p. 109. 366) l. l. p. 115.



miracula, quamvis ex ea, quam vulgo sequimur, regula *expectari* non potuerint, *agnosci* tamen *per eandem licet*, quin *oportet*. Neque enim ea, quæ per experientiam nostram & historicam cognitionem *expectamus*, pro *absolute necessariis* licet ³⁶⁷⁾ sumere, verum pro magis minusve probabilibus habentur, *dum non est causa aliter existimandi*. Sed ejusmodi *causa est* in experientia & historia explorata, cujus auctoritate id ipsum nititur, unde consecutionem rerum probabiliter colligimus, cujus utriusque auctoritas haud raro etiam ea persuadet nobis, quæ per superiores notitias inexpectata & incredibilia videbantur ³⁶⁸⁾. Quod si ³⁶⁹⁾ ergo miraculorum Jesu, ut his utamur, testes extraordinaria illa eventa tam vere suis sensibus perceperunt, quam pervagata quæque & vulgaria; singulares illos eventus in dubium revocare non poterant, quin sensibus suis universe & communi etiam experientiae inciperent diffidere. Si porro testimonia testium tam locupletia fuerint, quam certissima eorum, quibus adducimur alias ad sumendum aliquid pro vero, cum vestigamus naturam aut negotia gerimus, neque tamen iis fidem & auctoritatem adjungamus, sed excusari nos arbitremur, quia (cf. §. XV.) certe fieri *possit*, ut fallat aliquis testis aut fallatur: nonne ita demum sequimur legem, a qua, *si valeret, confusio maxima* in civitate regenda privatisque negotiis gerendis & doctrinae studiis colendis metuenda esset ³⁷⁰⁾?

§. XXI.

367) v. not. 362. 360.

368) cf. laudatum *Butlerum* p. 272.

369) *Num* vere perceperint, hoc loco non quærimus, v. supra not. 321. 335.

370) v. *Dittonum* l. 1, c. VII, (VIII), Sect. II—V, p. 218. *fs.*

§. XXI.

At vero, si historica *theologorum* fides ingenua esse potest ³⁷¹), tamen fides *reliquorum christianorum*, qui linguas ad interpretandum (§. XVII) necessarias non intelligunt ³⁷²), rerumque criticarum & historicarum, quibus tum ad interpretandos N. T. libros, tum ad probandam ac defendendam (§. XVIII. f.) eorum auctoritatem opus est ³⁷³), nullam scientiam habent, cæca & servilis sit oportet ³⁷⁴). Brevi, *laicorum* innumerabilis vis ne ducitur quidem auctoritate sacrarum literarum, sed parvæ manus *clericorum*, haud raro imperii cupidiorum quam veritatis ³⁷⁵), incertis atque controversis ³⁷⁶) opinionibus non sine dedecore ³⁷⁷) rapitur ³⁷⁸). Sic enim dicunt, quasi e philosophorum scholis meri inventores suæque disciplinæ perfectores evadant, vel certe nemo servili isto: *αυτος ερα*, ducatur, suæ rationis auctoritatem omnes ad unum sequantur. Sed ut verus philosophus turbam ³⁷⁹) eorum, qui parentis doctrinam, forte etiam allatas ab eo rationes, ad verbum ediscunt atque

371) v. supra §. XV. fs. ipsumque celeberr. *Kantium* l. c. p. 235.

372) l. c. p. 154. 184. 264. 238. f.

373) l. c. p. 154. 184. 264. 232. 236.

374) l. c. p. 235.


375) l. c. p. 261. f.

376) l. c. p. 188. 240. 264. 190.

377) l. c. p. 157. 170.

378) l. c. p. 236. Cum *Tindalius* (Beweis, daß das Christenthum so alt als die Welt sey, c. 13. p. 397. fs. ed. Franc. & Lips. 1741) hoc ipso argumento usus fuerit, tum lectu digna sunt, quæ laudatus *Fosterus* (p. 231—343) contra disputavit.

379) v. ill. *Kantii Crit. der reinen Vern.* p. 865.



que reddunt ³⁸⁰), invitus trahit ³⁸¹) eique investigatorum veri integrorum paucitatem longe antepone: sic sperare licet, nec deesse theologos, qui auditorem quemque tanto pluri (Act. XVII. 11) faciant, quanto diligentius ab eo examinatur proposita doctrina. Si turba auditorum ad ea, quæ accipit, diligentius cognoscenda segnior est, si cæcam & temerariam fidem aliquis vel philosophus vel theologus sibi tributam cupit, imperiumque in suos tenere gestit; hominum fuerit vitium, non continuo rerum ipsarum est. Si denique ad christianam doctrinam *penitus* cognoscendam alii vel naturæ vel etiam *doctrinæ* præfidiis paratiores sunt; non sequitur, alios hanc doctrinam cognoscere omnino non posse, aut nec tantum quidem debere, quantum in ipsis est. Nam in ipsa etiam naturali, quæ tamen ad omnes pertinet ³⁸²), religione excolenda alii ante alios adjuvantur vel ab ingenio, vel a *doctrina* ut instrumento ad ingenium acuendum, vel nominatim ³⁸³) ab excellentiore quadam naturæ cognitione & scientia. Non negamus, sermonem, quo natura utitur, etiam ab iis intelligi (Pf. XIX. 2-5), qui in *hebræo-græca* N. T. lingua *surdi sunt*. Sed ii etiam ipsi, qui sermonis archetypi expertes sunt atque ignari, versionibus, quæ modo
fint

380) „nachsprechen.“ (cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 263).

381) „die Gipsabdrücke von einem lebenden Menschen“ (Crit. der reinen Vern. p. 864) ungern „nach sich schleppt.“ (Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 236).


382) l. c. p. 264. 231.

383) l. l. p. 289.

sint ³⁸⁴) *versiones*, eatenus certe possunt confidere, ut, quamvis, ab archetypo multifariam eas aberrare, suspicentur & ex ipsa diversarum, si quas inter se voluerint comparare, versionum discrepantia intelligere possint, ejus tamen, quam legant, historiæ *summam*, de qua etiam versiones, utcunque alias differunt, omnes consentiunt, & *præcipua*, quæ non semel, ubi forte peccatum esse possit ab interprete, sed pluribus ³⁸⁵) N. T. locis tradantur, capita doctrinæ iis, quæ sint in archetypo, respondere, persuasum habeant. Quæ ex dogmaticæ philosophiæ decretis, narrationi & doctrinæ N. T. repugnantibus, aut certe ex fastidio rerum, de quibus non liquet rationi per se soli, existere solet *difficultas interpretandi* (§. XVII.), in eam eruditi lectores N. T. multo citius delabuntur, quam rudes atque integri, quemadmodum in ipsa
etiam

384) Intelligimus eas, quæ archetypum pressius sequantur, nec degenerent in paraphrases aut commentarios. Quamquam enim hoc versionum genus non magis contemnimus quam commentarios ipsos, ei tamen consilio, de quo nunc agitur, unice apta sunt (cf. not. 385) reliqua duo genera, quæ S. R. *Griesbachius* (in ill. *Eichhornii* Repertor. für bibl. und morgenl. Litterat. P. VI. p. 274-279) commemoravit.

385) Si quis interpres id agit, ut certas doctrinas e N. T. removeat; ne maxima quidem multitudo locorum, quibus hæ doctrinæ confirmantur, obstare potest, quo minus illarum memoria in *liberiores* versione, quæ commentarii vicem explet, ubivis deleatur. (cf. S. V. *Griesbachius* l. l. p. 283). Sed pleræque versiones antiquiores, & recentiorum quoque haud paucæ, non sunt ex illo genere, quod diserte ab hac causâ amovimus (not. 384). Et ne isti quidem interpretes negant (cf. Ven. *Griesbachium* l. l. p. 284), legi in N. T. quod reliquæ versiones exprimunt, cujus vero *sententiam* ipsi ita interpretantur, ut in *explicatrice* versione legitur.



etiam lege morali interpretanda ex eaque æstimandis actionibus philosophi interdum vincuntur ab indoctis, de communi sensu judicantibus³⁸⁶). Quod si vero lectori versionis impedimento est ipsa sermonis hebræo-græci ignoratio, per quam fieri sane potest, ut locos, ab interprete ad verbum de græco expressos, crebro non intelligat, in aliis archetypi sensum propterea non assequatur, quod ad veritatem minus accommodate conversi fuerint; ne nunc quidem necesse habet libro, quem adhibet, vel amico, quem consulit, *cæcam* fidem tribuere. Nam conferre saltem cum reliquo N. T. argumento, quoad ipsi cognitum est, oblatam interpretationem, & ubi repugnare videbitur, assensionem cohibere, si congruere censeatur, non continuo pro unice vera, at pro *possibili* habere potest, id quod satis est ad tollendam dubitationem, quam fortassis attulerat versionis, qua uti solet, peccatum. Ne enim porro offendat in loco perperam translato, satis habet scire, eum sensum, quem in versione offenderit, *non esse necessarium*. Deinde, si adhibere sibi queat in consilium hominem, doctrina & theologiæ studiis paullo perfectius eruditum, haud raro ad ipsam propositæ interpretationis *veritatem* ejusque causas intelligendas perducere poterit, veluti cum necessaria ad intelligendum cognitione rerum historicarum impertitur, aut forma loquendi, de qua quæritur, in alio versionis loco monstratur, ubi per contextum est significationis minus ambiguæ, vel analogia linguæ, quam auditor callet, in obscuris lucem aliquam præfert. Quo magis optandum est, ut numerus eorum,

386) v. celeberr. *Kantii* Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 22.

rum, qui christianis se præbere possint tales ³⁸⁷⁾ haud profecto imperiosos ³⁸⁸⁾, sed amicos certosque duces, augefcatur in dies, eorumque levitati & inscitiae patere tandem definant aures, qui futuro doctore religionis nihil opus esse clamant theologica eruditione. Si complura ad extremum loca restent, in quibus lector N. T. indoctus non possit non cæcus esse, ne docto quidem omnium intelligentia opus est; imo, si restent loci, qui difficultatem habeant, ad historiam & doctrinas, ex aliis N. T. partibus liquido cognitæ, aliquid pertinentem, restent sane, ne rejiciat modo animum, quæ superest, difficultas & obscuritas a tenenda veritate, quæ ex locis claris & perspicuis intellecta est. Atque hæc modestia ³⁸⁹⁾ in illa sacrarum literarum antiquitate ³⁹⁰⁾ ne literato quidem homini, nedum, conscio sibi ignorantiae literarum, aliena aut difficilis debet videri. Et quoties ipsa etiam rationalis fides difficultatem atque dubitationem multiplicem, quam experientia quotidiana & historia contra morale Dei imperium affert ³⁹¹⁾, propulsare & propellere debet ratione theoretica de limitibus suis admonenda ³⁹²⁾? Quod postremo attinet ad diffi-

387) v. S. R. *Næffelti* eximius nostræque ætati aptissimus liber, quem inscripsit: *Anweisung zur Bildung angehender Theologen* T. I. §. 36. p. 33. seq. ed. 2.

388) cf. not. 375.

389) v. *Comp.*, dogm. §. 16. e)

390) v. supra not. 315.

391) v. ill. *Kantii* Crit. der Urtheilskr. p. 400, 421, Crit. der pr. Ver. p. 253.

392) l. l. p. 251. Crit. der Urtheilskr. p. 458. f. cf. *Comp.*, cit. §. 18. a). & b. *Toellneri* Versuch eines Beweises der christl. Rel. für jederman, §. 95.



difficultatem *probandi auctoritatem* N. T. hominibus *ineruditis* vel certe *in theologia* non eruditis, ea multo minor erit post-hac, si modestiæ illud elogium, quo impertiendo ³⁹³⁾ ill. *Kantius* verecundiam commendare potius ac incitare voluisse videtur, ætas nostra mereri deinceps curet studeatque. Cum enim auctoritatis Jesu & apostolorum commendatrix (§. XIX. f.) historia indoctis egregie accommodata sit ³⁹⁴⁾, ipsiusque, quod e miraculis ducitur, argumenti vim indocti (Jo. IX. 30. fs. ³⁹⁵⁾ multo facilius percipiant, quam docti sæpe viri, quorum animus impatientia miraculorum, nata vel a dogmaticæ philosophiæ vanis ³⁹⁶⁾ præceptis vel a logolatria ³⁹⁷⁾ quadam, obsessus jam est, quum ad historiam, de qua agitur, expendendam accedunt; Christi & legatorum ejus auctoritas multo minus difficiliter apud indoctos hodie valitura esset, si de consilio celeberrimi philosophi ³⁹⁸⁾ historia, quæ vulgo certe utilis ac necessaria est ³⁹⁹⁾, et ne potest quidem solide oppugnari ⁴⁰⁰⁾, nec tot infirmis ad probandum & nugatoriis, sed futilitatis ac mendacii apud populum non continuo manifestis, rationibus oppugnaretur, tantaque procacium & sermonum &

393) Rel. innerh. der Gr, der bl. Vern. p. 188. f.

394) l. c. p. 263.

395) Diff. II. in LL. N. T. hist. aliquot locos p. 45. f.

396) v. supra not. 362.

397) v. supra p. 61. 75. & not. 256.

398) v. not. 393.

399) v. Rel. innerh. der Gr, der bl. Vern, p. 153. 236.


400) l. c. p. 188. f. 224.

& scriptorum vi invaderetur. Ceterum indocti pariter ac docti homines e laicorum, quos appellant, numero, si religionem ex animo colant, & maxima, quæ ad eam colendam historia & doctrina Jesu habet (§. XIV), momenta perpendere velint, libros N. T. eo facile animo legent, in quo *veritatis* vestigia, quæ impressa extant ⁴⁰¹⁾ in *ipsis evangelistarum narrationibus*, possint imprimi. Animadversa autem veritatis indicia, quamvis fortasse nequeant continuo enumerari ab omnibus & diligentius explicari, nisi peritior ea percontando demum & interrogando eliciat ⁴⁰²⁾, hoc certe sensu imbuent animum, ut non modo aperte temerariis criminationibus, quibus in historiam doctrinamque Jesu aliquem uti forte audiat, vel cavillatione aliorum & scurrili dicacitate abhorreat nulloque modo ad fidem Christo derogandam commoveatur, sed ipsis etiam argumentis, quæ afferantur in contrarium, jure suo ⁴⁰³⁾ diffidat. Et tanto quidem minus apud eum nova, si quando accidit, dubitatio valebit, quanto sæpius jam usu cognoverit, dubitationem, quamvis argumenti gravissimi speciem habuisset, ipsi tamen a peritioribus, quos in consilium

401) *Interna hæc signa, quæ sine omni eruditione intelligi possint, et historię ac divinę missionis Jesu fidem faciant, laudatus Toellneri libellus cap. II. III. luculente ostendit.*

402) *Simile quid de moralibus notitiis & fide rationali in vulgo observavit celeberr. Kantius l. I. p. 264. Grundl. zur Metaph. der Sitten p. 20. f. Crit. der Urtheilskr. p. 433. f. Et quis tandem illico caecam numerabit eorum fidem, qui morale argumentum non sic perspiciant & explicare possint, ut philosophus criticus?*

403) v. supra p. 77.



lium sibi adhibuerit, quosque ipsa etiam imperita multitudo hoc facilius reperiet, quo minus officio ⁴⁰⁴) doctores religionis & literarum sacrarum studiosi defunt, nullo negotio sublatam fuisse. Si quis vero *theologicae eruditionis* tantum sibi sumit, ut libros, qui argumentis ac rationibus contra historiam & causam Jesu Christi pugnant, pro suo jure legat; is pro eadem, quam sibi arrogat, eruditione etiam in libros theologorum, ad probandam & defendendam Christi causam, quamvis non populariter, sed *eruditius* scriptos, aliquid operæ & studii poterit, atque adeo, ne fiat cupiditatis reus, debet conferre.

404) v. supra not. 387.

p. 55. not. 289. del. X.

14. Mai 1979

21. Juni 1979

Philos. D 78.

